Bible. N.T. Romans

EPISTOLA
PAULI AD ROMANOS

GRAECE

EX RECENSIONE NOUISSIMA GRIESBACHII

CUM

COMMENTARIO PERPETUO

EDIDIT

CHRIST. FRID. BOEHME,

SACROR. IN COENOB. MAGDAL. ALTENBURG. ANTIST

LIPSIAE MDCCCVI.

SUMPTIBUS SIEGFRIED LEBRECHT CRUSII.

Praefatio.

Post Semlerum, Koppium, Rosenmüllerum aliosque viros in explicanda hac Pauli, apostoli, vnius omnium vt fatis factisque celeberrimi, ita in dicendo cum grauitate obscurissimi, epistola, vna omnium eiusdem scriptoris difficillima, laudem nostra quidem aetate (antiquiores enim taceo interpretes) maiorem minoremue consecutos, tum vero etiam, quod divinare licet, proxime ante theologum in N. T. interpretatione spectatissimum, apostoli cognominem, forsan et Thiessium, exegetam sane haud contemnendum, — hoc igitur tempore hosque inter socios auderi eius epistolae commentarium, eumque non tironibus scriptum, sed ipsis interpretibus et, qui his doctrina pares sint, a me, homine in hoc genere studiorum fere nulla cum publica approbatione adhuc versato, quis talium virorum non miretur, quis non iure meritoque vituperandum censeat?

Quamobrem quid fuerit tandem, quod me ad opusculi huius in vulgus emittendi consilium adduceret, ante omnia hac in praefatione edisseram; quo si minus, quam velim, de necessitate laboris a me suscepti doctis hominibus, harum rerum arbitris, persuasero, certe id spero me effecturum, vt ne omnino sine probabili caussa suscepisse videar.

Ac primum quidem, quod olim iudicaueram in libro de Paulina oppositione γράμματος et πνεύματος Ienae apud Stahlium MDCCXCIX a me edito: exegeseos scriptorum, quos vocant, sacrorum purae h. e. ad regulas hermeneutices, quas in profanis, vulgo sic dictis, plerumque et recte adhibitas nouimus, prorsus accommodatae, exemplum vix vllum aliquod ex omni aeuo christiano posse proferri, id etiamnum, non exceptis vel nuperrimis N. T. interpretibus, putabam esse statuendum; atque hoc maxime mihi fuit in caussa, cur animum ad nouam scripti biblici explicationem elaborandam appellerem. Puritas enim illa integritasque interpretandi, quam hodieque in commentariis N. T. fere desiderari dixi, inter exegetae virtutes loco, ni maxime fallar,

omnium primo numeranda est; quam ego, quantum possem, hoc opusculo meo qualicumque probare studui. Sed pluribus verbis exponendum videtur, quam de hac re grauissima sententiam cuique veritatis exegeticae studioso amplectendam tenendamque esse existimem. Haec igitur hac super caussa lectores habeant!

Interpretis munus, quamuis multa magnaque egens doctrina ac prudentia omninoque multiplici atque diligentissimo vsu intellectus et ingenii, vt nimirum sensus verborum, quum singulorum, tum coniunctorum, scriptoris, quem quis explanandum sibi sumserit, certa accurataque ratione inueniatur: animi tamen voluntatisque summam simplicitatem summumque requirit candorem propterea, quod nostra alienae orationis interpretatio tum demum satis iusta est ac genuina, quum, quid et quale ab illius auctore suis prolatum fuerit verbis, idem ex omni parte nostris cum ea, qua opus est, perspicuitate reddiderimus. Ab hac igitur animi sancta simplicitate recedunt, quicunque quolibet rerum personarumue studio ducti non id potissimum et vnice, quod ab auctore dictum reperiant, sed quod ipsi ab eo di-

ctum velint, pro vera eius sententia habent atque aliis exhibent. Potest autem in hac caussa peccari, si rem omnino spectes, dupliciter. Aut enim rectiora elegantioraque illis, quae scripturae explicandae veritas continet, erunt ea, quae cupidi interpretes protulerint, aut contra. Atque hoc quidem, vt eius bonitati aliquid detrahant, rarius facient, quoniam plerumque interpres auctorem suum amat et magni aestimat; obque id ipsum illud fiet saepius: quod rursus non vno modo potest fieri. Nam qui vel id agit sedulo, vt res verbaque auctoris ab iis, quorum commodis vult inseruire suam interpretationem, bona ac praeclara omnia iudicentur, vel saltim non satis sibi cauet, ne nimio libri, cui nauat operam, fauore deceptus ea, quae in illo exstant, meliora ornatioraque, quam reuera sunt, lectoribus suis repraesentet, is aut hactenus tantum errare poterit, vt quem explicandum elegerit scriptorem humana quidem cogitandi dicendique praestantia, sed tanta, quanta profecto in illo non fuit, excelluisse sibi persuasum habeat aliisque persuadere studeat, aut, vt ne humana quidem, verum diuinae simili, quae omnino omni labe vitioque prorsus careat. Quod vtrumque genus interpre-

tationis nimis gratiosae in iis potissimum libris quos sacros agnoscit Christianorum pietas, explanandis et olim vbique fere apud nostros viguisse theologos, et adhuc nondum ea, qua par sit, attentione curaque ab illis euitari, haud dubito, quin omnes historiam biblicae exegeseos rite docti, si, quod verum est, libere velint pronunciare, fateantur. Nos autem, ne iusto simus longiores in hac re demonstranda, satis habebimus commemorare, quemadmodum nostra aetate N. T. interpretes duplici ista via, iamiam breuiter descripta, ab officii, quod susceperunt, sinceritate aberrare soleant. Sunt enim (quis neget?) minime pauci, qui quamuis neutiquam statuentes, in illis noui foederis, quod vocant, monumentis plus quam humanam vtique sapientiam exhiberi, tamen, nescio vtrum sua ipsorum, an certe eorum, quibus scribunt, eximia illorum veneratione permoti, operam dent, quam possunt, maximam, vt, quae illic reperiuntur, hodiernae religionis rerumque moralium scientiae, quippe quam vnicam iudicant verissimam numerisque omnibus absolutam, appareant simillima. Non est, opinor, quod multa huius erroris, plus vno nomine damnandi, exempla vndique congesta huc

adscribam; quibus pleni sunt hodie commentarii exegetici, praesertim eorum, qui vix emissi scholis academicis, quam ibi auribus magis, quam mente animoque acceperunt, nouam sapientiam, scilicet solam, vt ipsis videtur, dignam suo nomine, vbi ad biblia aut scripto aut viua voce explicanda accesserunt, simplicissimis quibuscunque dictis auctorum sacrorum, summa cum virium intentione et quasi mysteria nondum audita prodentes, non accommodant, sed seria fronte ceu vnice propriam attribuunt. Atque parum ab his distant ii, qui etsi praeclare videant, in explicando codice N. T., toto populariter scripto, non nimis esse philosophandum, tamen simulac inciderint in loca de miraculis olim factis qualitercunque narrantia, suum esse indicant conquirere, quae possint, omnia, quibus id, quod sacri illi scriptores bona fide in miraculorum posuerunt numero, ad naturales, vix miraculi speciem indutos, eventus referendum esse intelligatur; qui quidem viri caeteroquin optimi, si vel maxime de rei veritate a se demum inuenta recte gloriari sibi videri queant, certe, hoc agentes, migrabant fines interpretis, cuius id vnum est ac distincte separatum negotium, vt verba scriptoris quas,

ex huius nimirum mente, sententias contineant, accurate inuestiget inuestigatumque plana oratione explicet: de rebus autem sic ab interprete repertis et expositis prorsus liberum penes lectores sesto iudicium. Et haec profecto caussa sola nobis videtur sufficere, cur exegetas minus probandos esse censeamus etiam illos, quorum conspicuum est studium, omnia auctorum N. T. effata ad eam diuinae excellentiae ideam reuocandi, quam de tota illorum doctrina mens ipsorum religiosa dudum suscepit vt verissimam. Quanquam enim hos christianae ecclesiae theologos minime dixerim damnandos in eo, quod tantum tamque singulare pretium libris statuant biblicis, quod iure suo ipsis certissimo fieri facile illis largior; id tamen, idque sane vnicum, illos peccare affirmo atque contendo, quod, quem diuinitatis originisque et auctoritatis plus quam naturalis honorem doctrinae Iesu eiusque apostolorum, quibuscunque vel firmissimis adducti rationibus, tribuunt, eundem in scriptis, quibus illam primitus traditam accepimus, interpretandis sibi sequendum et constanti seruandum animo existiment. Nam primum quidem hoc omnino pugnat cum interpretis officio. Quemadmodum enim vulgo et iusta de caussa praeci-

pitur, vt, qui fide vere dignam gentium rerumque ab iis gestarum historiam nobis proponere velit, in ennarrandis ideoque etiam in examinandis, quae memoriae prodita sunt, mentem probet ab omni partium quarumlibet cupiditate alienam; ita oportet interpretem quoque, vtpote ipsum quodammodo historicum, se abstinere ab omni opinionum vndecunque quocunque iure praeconceptarum studio. Ac profecto illam historiarum conditori scriptam regulam haud nimis late extendisse putabimus eos, qui statuerent, hunc, quando et quatenus suum tractet munus, ipsam religionis, cui addictus sit, publicam professionem debere negligere. Quare et nos absque vllo metu inuidiae nobis videmur posse id postulare a christiano N. T. interprete, vt quamdiu et quatenus agat interpretem, se Christianum esse, quantum id praestare queat, ne meminerit. Quid enim? Num censeamus, libros, quos fontes religiosae veritatis cognoscendae pars hominum, eosque quidem suae potissimum, habent et adire solent, ab his tantummodo hominibus recte, vt intelligi, ita etiam explicari posse? Neutiquam, si quid video. Quodsi enim ex hac lege de optima N. T. interpretatione iudicare velimus, quis non sentiat,

tum quidem vnamquamque Christianorum partem, — quippe qui maxima licet varietate de religione cogitandi a se inuicem distincti tamen omnes idem illud N. T. summum eius cognoscendae colunt principium, — suam scilicet illius interpretationem, id est eam, quae cum suae ecclesiae religiosa formula exacte conueniat, iure liquidissimo putare et appellare optimam; vt igitur optimus vniceque verus verborum sacrorum, varie a variis Christianorum familiis explicitorum, sensus non vnus, sed ipse varius, nempe aliis alius pro ipsorum doctrina ecclesiastica, agnosci debeat? Quo quid dici potest absurdius? Ergo de exegetica quidem veritate non Lutheranus, qua talis, recte pronunciabit, non, qui vocatur, Reformatus, non Romano-Catholicus. At vero ne Christianus quidem; nam ex horum numero aut ex simili semper aliquis est. Nonne potius nos Christiani, sicut de Iudaeorum Muhamedanorum et omnino omnium gentium sacris codicibus liberum nobis idque tamen haud a vero aberrans, non propterea, quia Christiani sumus, sed quia sumus homines, volumus esse iudicium, ita eandem ex eadem caussa libertatem iudicandi his quoque de nostro, dummodo illi satis ab animo ingenioque instru-

cti ad hoc veniant, merito concedendam existimabimus? Nimirum est interpretis, id spectare, id inquirere atque omni, qua valet, arte eruere solum, quid quale ab auctore dictum sit, nihil, dum hoc agat, curantem, quam verum ornatumque illud sit ex sua de rerum veritate et de ornatu verborum sententia. Atque hanc ille puritatem castitatemque operi suo minime poterit aliter conciliare, nisi si ipse simplicem, vt ita loquar, hominem in homine aliquo (qui auctor est) intelligendo explicandoque sese praebuerit. Deinde autem etiamsi hoc dederimus christiano N. T. interpreti, vt religionis, quam profitendam suscepit, vera capita inde depromenda esse censeat, ideoque illud ipsum totum ad hanc maxime regulam statuat interpretandum; is tamen satis attento puroque animo intuens et considerans, quid sibi velit illa regula, haud dubie, credo, intelliget, sic quoque minime licere auctoribus sacris, ex opinione scilicet, quam ipse de religione putes optimam, quid illis eadem de re esset sentiendum ac proponendum, quasi praescribere; immo vero, quae vera sint religionis christianae capita, id ex horum solo integroque testimonio demum, quale-cunque illud quidem fuerit, simpliciter debere

cognosci. Etenim quis neget, a nostrae ecclesiae theologis iure aequissimo semper esse postulatum, vt quas christianae doctrinae partes certa ratione numeratas vellemus, omnes ex vno bibliorum et N. potissimum T. sancto fonte haurirentur? Igitur has, non nisi exegeseos rite institutae ope reperiundas, interpres biblicus pro suo sane officio doctori religionis christianae porrigat, ex quibus hic deinde, quam queat commodissime, corpus quoddam doctrinarum christiano homini credendarum conficiat. Verum enim quas qualesue ille huic porriget porrigereque omnino poterit? Nempe quas et quales ipse ex scripturarum sacrarum codice, christianae veritatis teste ac monumento vnico, similis historico fide digno, suo quidem iudicio caeteroquin nullo interposito, eruerat! Non enim quae nos pro huius aetatis cultu vera ac stabilia in religionis caussa esse existimamus, eadem et illis bibliorum, siue diuinis, siue humanis, auctoribus existimata fuisse statuendum est; qui potius, si diuini habeantur, omnia rectius nostris, vtut visis rectissimis, sciuisse atque docuisse putandi sunt, sin meri homines, certe illis nil, nisi quod ipsorum fuisse constet, licebit attribuere. Vtcunque igitur de iis eorum-

que in rebus religiosis auctoritate iudicaueris, sua illis pure relinquere deque tuis autem ne minimum quidem his vel adiicere vel interserere, ea demum erit vere iusta et in omne futurum tempus satis firma interpretandi regula ac ratio. — Atat, aliquis dixerit, nonne hanc ipsam rationem hucusque omnes, qui sanioris iudicii exegetae fuisse et esse censerentur, prorsus sequuti sunt? Scio equidem, professos esse hoc nostro maxime aeuo plurimos, immo voluisse etiam, quod profiterentur, praestare, lubens iis concesserim. Attamen video, in libris exegeticis vulgo laudatissimis haud deesse, quae contra istam certissimam bene simpliciterque interpretandi regulam plus minus facta censeat quisque harum rerum a studio iraque pariter alienus arbiter. Age igitur vt probemus, quod sinistre a nobis iudicatum hic ille possit contendere, ex magno exemplorum huc pertinentium numero pauca quaedam, eaque cuncta ex vna illa, cuius et nos hic exhibemus commentarium, epistola Pauli desumta proferemus. Primum nota est omnibus disputatio, qua auctor (IX, 6—23.) lectoribus, Christianis nomine, sed genere et fere etiam adhuc mente Iudaeis, ostendere studet, promissa, quae Deus populo ipso-

rum olim dederit, quamuis non omnibus iam Israelitis per I. Chr. saluatis, tamen neutiquam facta esse irrita. Cui rei confirmandae ille hoc argumenti adhibet: non omnes scilicet ex Israele natos veri nominis esse Israelitas; id quod rursus stabilire conatur commemorandis nonnullis Israeliticae familiae fatis, vnde patescat nimirum, Deum semper libero quodam agendi consilio vsum alios gratiose tractasse, alios vero minus, quod ergo nunc quoque in Israelitis partim donatis salute Christianorum, partim autem priuatis, eueniat. Inter ista igitur diuinae libertatis documenta apostolus (v. 13.) et illud Prophetae posuit, quod Deus „Iacobum amauit, Esauum vero habuit odio.“ Iam quaeritur, non hoc, quid propheta, sed quid Paulus h. l. his illius verbis significare voluerit; nempe huius, non illius, verba hic interpretanda sunt. Respondent autem interpretes, quos adhuc viderim, omnes hoc: externam eamque terrestrem fratrum illorum fortunam, minime vero felicitatem omnis tum generis tum temporis, diuersam fuisse ex Dei arbitrio. Cur vero externam tantum atque terrestrem, quum Paulus ipse nihil definiat? Nimirum illi boni piique viri sic demum optime hunc defendi posse pu-

tabant a blasphemia, quae saue videretur vix abesse, si quis totam et ipsam aeternam hominis salutem ex libero quodam Dei arbitrio pendere contenderet. At enim praeterquam quod apostolus nihil definit, vt dixi, manifestum est cuique attento eius loci lectori, argumentationem illius, si de sola externa et huius vitae conditione cogites, non satis bene procedere; nisi dicamus, Paulum voluisse concludi a minore ad maius hoc modo profecto parum commodo: Deus olim libere decreuit in fatis Esaui et Iacobi terrestribus; ergo non est mirandum, si ille nunc non minus libere decernit in Israelitarum salute tota ac aeterna! Atqui igitur permittat interpres apostolo suam argumentandi rationem, quae liquido postulat, vt de felicitate fratrum geminorum omnino spectata oratio eius valeat, caeterum nihil anxius de nota blasphemiae, quae aliter, quam perperam interpretando, ab eo remoueri non debebit tantum, sed etiam poterit. Alterum eiusdem generis exemplum nobis praebeat vulgaris explicatio loci XI, 25. 26., quo auctor perhibet verbis, quantum videam, planissimis: fore aliquando, nempe Ethnicis vel omnibus, vel saltim plurimis, ad I. Chr. conuersis, vt „cuncti Israelitae saluen-

tur." At hi ne nostro quidem serissimo mundi aeuo cuncti adhuc saluati sunt, neque vero magna spes est, eos saluatum iri breui tempore. Ergo si rem spectemus, sensus ille verborum apostoli clarissimus iusta de caussa videtur vocari in dubium. Et haec nimirum caussa fuit, cur varii variis interpretandi artibus efficere adniterentur, apostolum non dixisse, quod tamen dixit liquido: alii e. c. sensu vocis „πᾶς," quantum vtile esse putarent, restringendo, alii vero, idque maiori cum audacia, vocabulum „σωθήσεται" non de eo, quod futurum sit, sed, quod possit fieri, explicando. Quibus nimii erga scriptorem interpretandum fauoris exemplis tertium quoddam, sed hoc vnum, ne longiores simus, adiungamus. Exstat hoc quidem in verbis XIII, 11. „νῦν - ἐπιϛεύσαμεν;" in quibus examinandis iam haud morabimur illos, qui partem eorum posteriorem cum Luthero, aut similiter, conuertendam putent, qui sat multi sunt; sed quis, quaeso, opinetur, nisi ipse suis deprehenderit oculis, fuisse, qui vocabulum „ἐγγύτερον" ex loco V. T. X, 8. a nostro vsurpato intellectum vellet non de propinquitate, quam clare significat, sed de firmitate et, quam dicunt, certitudine? Quorsum autem hoc? Videlicet, vt constaret, diem extre-

mi, quod vocamus, iudicii a Paulo non propiorem tempore, quam a nobis, esse creditam. Sufficiant haec. Nam quid multa dicam de elegantia sermonis apostolo nostro gratiosius attributa, quippe re tum leuioris momenti, tum minus certi vbique iudicii? Quamquam fateor, me haud parum esse miratum, quod laudem elegantiae ac venustatis ab exegeta quodam nuperrimo atque praestantissimo concessam viderem comparationi Paulinae, quae V, 12—19. legitur, plenae quidem acuminis et diligentiae, sed vero non minus testimonii, quo constare possit, quam vere et ingenue auctor alicubi de se ipse praedicauerit: se τῇ γνώσει non destitui, qui idem τῷ λόγῳ ἰδιώτης quin appelletur, haud recuset. Ego vero ex hucusque dictis satis cuilibet haec attentius legenti dudum elucere arbitror, quaenam sit illa interpretationis puritas ac sinceritas, quam primam omnium hermeneutae virtutum recte numerari haud iniuria, opinor, monui; qua quidem etsi non cogamur ab omni iudicio de auctoris dictorum veritate et elegantia ferendo abstinere, hoc saltim certissime sanctissimeque procurari debet; vt ne vlla de caussa aliud quidquam tribuamus auctori, quam quod ipsa eius oratio per se nobis monstrauerit; quam virtutem

summopere velim a me, quantum amem, tantum in hocce commentario esse praestitam.

Altera quaedam, sed haec minor dignitate, quam illa superior, caussa, cur eum nunc edendum putarem, fuit, quod persuasum mihi habebam, me nuper incidisse meditando in eam totius muneris hermeneutici descriptionem, quae si minus materie, forma certe et habitu noua et vulgari aliquatenus praestantior esse videretur, quippe cuius specimen aliquod hoc scripto exhibendi fuit mihi consilium. Quaenam illa sit, paucis hoc quidem loco denotandum censeo; plura super eadem legere cupientes, si qui sint, amandans ad ea, quae meo nomine de hac re diuulganda curauit Schererus in fasciculis periodicis, quorum communis titulus est: Scripturae scrutator, Vol. II. Part. 1. p. 112—146. Summa rei, qua de loquor, huc redit. Oratio est hominis eaque plerumque litteris consignata, quam interpres quisque quasi materiam artis suae sibi suppeditatam tractat; id quidem ab omnibus, qui hac de arte hucusque praeceperunt, pro confesso habitum mihi quoque est persuasissimum. Verum enim haec oratio vulgo adhuc spectata est ita sola et ab auctore separata suo, vt nil praeter verba et litteras,

rem per se mortuam et, si dicere licet, elinguem cernere atque peruestigare viderentur, qui interpretationi darent operam. Equidem vero hominem potius ipsum in verbis suis, quam verba hominis nuda et ab hoc disiuncta, reor attendendum omnique, qua possis, euidentia tibi aliisque repraesentandum, si satis feliciter in explicandi opere velis procedere. Quamobrem hoc inprimis interpreti dederim consilium: vt ante omnia auctoris totam, quatenus ex historia et ipsis potissimum eius scriptis cognoscere queat, personam, ingenium animumque, mores, vitam, fata sic accurate pleneque perdiscere studeat, vt quasi viuam quandam illius imaginem sibi ponat ante oculos, quam clare et incorrupte semper menti, immo sensibus suis, obuersantem verbis ipsius impressam cogitet iisque, quorum caussa vel scribit vel loquitur, interpretando inde depromtam expressamque commonstret. Hac enim via progressus hisque vsus artibus efficiet tandem, quod maximum est in omni hermeneutae negotio, vt non tam aliena verba, quam sua ipsius, tractare, proferre, explanare videatur; (auctoris enim personam interpres illa huius viuida imaginatione induit quodammodo) quo demum fiet, vt, quae doctrinalis vocari solet interpretatio, quam possit, proxime accedat ad authenticam,

quae secundum illud tritum: quemcunque suorum verborum optimum esse interpretem, vna omnium optima ac probatissima interpretandi ratio habenda est. Talis igitur non tam rei atque merae orationis, quam hominis eiusque animi ipsius explicatio et paene reuelatio vt meis quoque huius qualiscunque commentarii lectoribus exhiberetur, praefationi, quam ago, praeparationem aliquam putaui subiungendam, qua Paulus, apostolus, totus, quantum fieri posset, viuis pingeretur coloribus; quam picturam vellem ab omnibus epistolas eius penitius cognituris diligenter perceptam fideli retineri et vbique adhiberi memoria.

Caeterum his dictis pauca sunt, quae de hoc opusculo meo lectores praemonendos videam. Quod enim attinet ipsam exegesin eo proditam, lubens et pro debito fateor, me multis multorum ante me de eadem Pauli epistola bene meritorum libris esse vsum, collatis nimirum, quorumcunque mihi facta est copia, commentariis eius iam exstantibus (in quibus mihi commodandis praesertim Keilii, viri summe venerabilis et hac ipsa in arte exercitatissimi benignitatem gratissima mente agnosco ac profiteor) inque mea commoda sic adhibitis, non vt describerem tantum, quae apud alios notata reperissem, sed vt ex eorum

ommum lectione atque comparatione vltimum quoddam idque sane meum de quoque difficiliori loco iudicium formarem et exprimerem. Alioquin enim mihi videbar non nouum, quem pararem, conficere commentarium, sed meram vtique pristinorum scribere satis prolixam, neque tamen multum gratiae vtilitatisue habituram, historiam. Criticam autem rationem fere non attigi; partim propterea, quod esset, cuius scientiae diligentiaeque hac in caussa satis tuto me confidere posse putabam, Griesbachius, vir omni hoc in genere laude dignissimus, quem prorsus et simpliciter sequutus sum, partim vero, quod ipsemet destitutus historicis, certissimis illis quidem textus censendi emendandique, subsidiis solas scilicet coniecturas de hac illa lectione mutanda proferre valuissem, quae bene scio, quanta fere laborent inconstantia. Vnus tamen est locus, in quo ausus sum ab huius harum rerum censoris nunc fere vnici iudicio discedere. Est ille ad finem cap. XIV, quo Griesbachius haud dubitauit referre, quae vulgo leguntur in exitu epistolae: τῷ δὲ δυναμένῳ — εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.; quae non potui mihi temperare, quin, vbi ante eum exhiberi solebant, rursus reponerem. Quas enim rationes ex historicis fontibus petitas pro ista vulgaris ordinis commuta-

tione afferri vidissem, tantum haud valere credidi, vt ad eam prorsus faciendam cogerent. Immo vero arbitror, posse iudicari, hanc epistolae particulam, postquam a Marcione eiusque asseclis tota illa a XIV, 23. vsque ad finem pertinens periodus, nescio, qua de caussa, fuerit resecta, ab aliis exscriptam esse, vbi haereticus finiendam putasset epistolam, ab aliis alibi et a nonnullis adeo dupliciter, prout codicum testimonia loquuntur, quae tamen, si rem ipsam consideraueris, nusquam nisi in termino totius Paulinae scriptionis esset collocanda. Nam interna quidem, quae vocant, argumenta hunc illi particulae locum planissime, si quid video, vindicant. Primum enim verba illa, de quibus critici ambigunt, continent summam totius epistolae et quasi quendam epilogum; deinde finivnt in iisdem, a quibus auctor epistolam scribens dicere inceperat, quod praesertim ex collatis vocabulis „στηρίξαι" et „στηριχθῆναι" similibus cognoscitur; tandem videntur esse scripta propria manu apostoli pro ea nimirum consuetudine, qua solebat omnibus suis epistolis per alios exaratis pauca quaedam sua ipse manu adiicere, qua de re diximus in commentario; contra vero eadem illa incertae sedis verba, si ad finem cap. XIV. admisceas, turbant omnia, quae his hoc loco omissis

contextu haud quaquam interrupto facillime profluunt. In forma tandem epistolae externa adornanda profecto vellem me totam veterum voluminum speciem naturamque referre potuisse; quod quum minus pro voto liceret, feci, quantum dabatur, exhibendo nempe textu nulla capitum versiculorumque distinctione, nisi quod hanc euolutionis adiuuandae caussa in suprema cuiuscunque paginae parte breuiter notauerim; caeterum, quod lectionis signa in graeca hac oratione non alia posuerim, quam quae in latina et vernacula adhibere consueuimus, gratum me fecisse arbitror lectoribus, nisi omnibus, tamen haud dubie plurimis.

Iam vero quicquid sit, quod hoc meo commentario, quem perpetuum iure optimo appellandum existimabam, iis, quibus ille destinabatur, nempe theologis Pauli studiosis omnibus, praestiterim, peto humaniter, vt in illo specimen hominis, qui paene tiro sit hoc in genere, agnosant, quicunque acceperint, exque eo de me meoque hoc opusculo iudicent.

Praeparatio.

Quicunque epistolam mox secuturam ea, qua decet interpretem, mente perlegere voluerit, is omnino quam potuerit plenissima viuidissimaque cogitatione sibi ipse repraesentare debet, haec pauca quid contineant: Paulum, ex Pharisaeo apostolum Iesu Christi, illam dedisse ad Christianos, Romae degentes, plurimos illos Iudaeos genere, pauciores Ethnicos, opera Tertii, Christiani, perscriptam; quam quidem cogitationem vt cunctis hac nostra illius editione vtentibus, quantum in nobis sit, expeditiorem faciliusque absoluendam reddamus, iam paulo fusius tum de ipso epistolae scriptore, tum de iis, ad quos illam scripsit, tum denique de scribendi occasione et consilio rebusque nonnullis adiunctis deinceps exponemus.

Iam igitur Paulum, praeconem illum Christianismi omni tempore illustrissimum, cognituris, immo conspecturis, nobis vehementer, fateor, dolendum est, quod externam viri, apostoli quidem Iesu sine dubio maximi, faciem nec statua antiqua, nec pictura, neque demum vlla satis copiosa descriptione habemus expressam. Multum enim haec, opinor, valet ad ipsum cognoscendum animum sermonemque intelligendum, in homine potissimum non aliter loquente, quam agente, qualem omnino Paulum fuisse fata factaque eius a Luca, diuturno comite et familiari, relata, si cum illius compares epistolis, satis superque testantur. Quod interim coniectura possimus assequi, videtur ille fuisse corpore partim imbecilli, de quo ipsum aliquoties (cf. 2 Cor. IV, 7. X, 10. XII, 7.) memorantem querentemque legimus, partim autem exiguo et forsan etiam gracili *), quam caussam, non vnam quidem, haud tamen minimam, illum habuisse crediderim, cur nomen Sauli hebraicum, quamquam id sane pro more gentis suae, in

*) Hac in opinione mecum, quod laetatus sum, consentientem reperi Lutherum, qui quum ex eo aliquis, Vitus Ditericus nomine, quaesiuisset, quam putaret fuisse Pauli personam, respondit: se credere, personam fuisse contemtam et sine auctoritate, illumque homulum tenui et macro corpore, qualis esset Magister Philippus.

romanum Pauli, qui Latinis paruus est, soni praeterea similitudine ductus, commutaret. At vero quos existimamus in Paulo, feruidissimi viro ingenii, luxisse, ne dicam flammasse, oculos! Quem vultum grauem, altum, generosum, nempe testem animi ad seueritatem fere compositi, fortis atque summe liberalis, splenduisse! Quam denique oris gratiam, aut tamen vocis vel iucunditatem vel pondus, apparuisse in eo, qui e. c. apud Lystrenses, Ethnicos, Barnaba quidem socio Iouis honorem, fortasse propter corporis habitum augustiorem, adepto Mercurius, facundissimus Deorum, sit putatus! Ergo hunc talem porro videre nobis videmur Paulum nostrum, si vitam moresque spectemus, pro tempore locoque erga omnes quamuis diuersos homines aptissime commodissimeque se gerentem *); audire sermocinantem licet non eloquenter pro Graecorum ratione, diserte tamen et verbis nunquam deficientibus; tandem animaduertimus experimurque cunctis, modo non obstinatissimis, opportunum, veri bonique semper

*) Vix me contineo, quin ad hanc Pauli virtutem prae caeteris in eo memorabilem illustrandam huc transscribam ea, quae Erasmus, ipse in hoc Pauli simillimus, de apostolo et elegantissime et verissime dixit in praefat. paraphraseos suae epistolar. illius ad Corinthios; quae sane, si cui facta fuerit copia, perlegisse poenitebit neminem.

amatorem; φιλάνθρωπον, φιλόθεον, praecipue autem Iesu Messiae ardentissimo cultu studioque plenum et conspicuum. Ad ingenium eius mentemque quod attinet, multa in eo fuit doctrina, non ad nostram aestimata regulam, sed iudaica; multa prudentia, et morum pro data occasione temperandorum sollertia; multa patientia fortunae vel tristissimae; multa summo in honore modestia, rerumque alienarum, quibus large posset, si vellet, vti, continentia; atque in munere, quod gestabat, administrando tanta tamque singularis industria et assiduitas, vt plane intelligatur, de se ipsum praedicauisse verissime, quod caeteris se comparans apostolis, quia necessitas erat, dixit: „περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα!" — Iamque dudum nos haud dubie flagramus cupiditate vel in memoriam nobis reuocandi, vel primum cognoscendi, quis ortus, quae institutio, quis vitae cursus modusque fuerit viri tam plurimis cuilibet ipsius personam spectanti nominibus sese commendantis. Ergo igitur Paulus ille, quondam Iudaeus, vt gente, ita religione, animo et moribus, posthac Iesu Messiae ad populos quoscunque noua huius doctrina imbuendos legatus, quem vno nomine dicunt apostolum, patriam habuit Tarsum *) opidum Ciliciae nobi-

*) Id certe attestatur ipse, referente Luca in Act. XXII, 3. At Hieronymus in catalogo scriptorum

le et florens graecis litteris, parentes autem Iudaeos quidem, sed hos ex Augusti, imperatoris, beneficio ciues romanos; a quibus ille iuuenis, nisi potius adhuc puer *), Hierosolyma transmissus, vt, cui ipse pater adhaerebat, disciplinae Pharisaeorum, sectae inter suos seuerissimae, id est superstitiosissimae, traderetur, Gamaliele potissimum praeceptore vsus est, a quo viro, vt auctoritate apud suos multum valente, ita in aliorum religione iudicanda insigni temperantia praedito, noster facile a rigore scholae pertinaci ad humanitatem rerumque sacrarum moderatius studium, si non statim perduci, paulatim tamen magis praeparari excolique potuit. At ille semel

ecclesiasticorum haec habet: „Paulus apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim apostolorum, de tribu Beniamin et oppido Iudaeae Gischalis fuit, quo a Romanis capto cum parentibus suis Tarsum Ciliciae commigrauit." Qua de re quid tandem iudicabimus? Quid, si, quae Lucas Pauli verba nobis narrat, nil nisi professionem continuerint, se esse Tarsensem, quam ille suis: „γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας" definitius, quam veritas pateretur, expresserit? Nimirum duas P. habere potuit patrias, plane vt Cicero, qui natus Arpini idemque Romae ciuis sibi has duas esse censebat patrias. Conf. Cic. d. leg. II, 2.

*) Suadet, vt hoc affirmemus, vocabulum „ἀνατεθραμμένος," quo Lucas l. c. vsus est.

concitatus amore sectae et, quo naturae tulerat feruor, abreptus tenerior adhuc aetate applausit interfectoribus Stephani, qui Iesu Messiae caussam contra magnum, quod Hierosolymis erat, synedrium acrius defendisse videretur; dein factus adultior ipse Christianos, nempe Iudaeos Iesum professos Christum, odio, verbis, peruestigatione, carcere denique et suppliciis persecutus est. Cui pessimo, sed, vt ipse credebat, valde religioso negotio quum non satis haberet, in vrbe gentis nauare operam, itinere Damascum eiusdem rei gratia facto, prope portam opidi, quod petebat, caelesti lumine subito mirabiliter circumfusus vocem Iesu, cuius insectabatur familiam, audire sibi visus est, tum accusantis minantisque, quod ipsi suisque aduersaretur, tum vero etiam admonentis atque excitantis, vt qua animi alacritate hucusque pro lege patria, nunc pro se suaque maxime ecclesia sentiret, loqueretur, ageret. Ac profecto Paulus huic tanquam vere diuino mandato per totam, quae ipsi reliqua fuit, vitam constantissime studiosissimeque, nulla metuens impedimenta, nulla pericula, paruit. Nam vix recepta oculorum nimio illo fulgore praestrictorum acie, quum interim ab Anania, Christiano Damasci versante, sacro, quod dicimus, lauacro esset initiatus, in Arabiam, vt ipse refert in epistola ad Galatas scripta, nescio, inchoandine, quod sibi iniunctum credebat, muneris caussa, an vero

accuratius praemeditandi, secessit, posteaque breui, vt videtur, tempore interiecto reuersus Damascum idem illud de Iesu Messia euangelium, cui paulo ante totis sese opposuerat viribus, palam liberrima mente et summo cum animi ardore coepit praedicare, atque omni modo inter omnis generis nationisque homines propagare studuit. Verum enim quid attinet, hic repetere, quaecunque apostolus ille gentium proprio ac vero appellatus nomine, vt officio, quod suum esse maxime sibi habebat persuasum, quantum valeret, satisfaceret, tum operatus, tum perpessus est, infinita numero et grauitate, quippe quae ex Lucae actis, libro, vt fide digno, ita cuicunque haec legenti notissimo, ipsiusque Pauli epistolis, fonte item apud nos publico, facillime, quicunque velit, possit omnia cognoscere? At autem sane operae pretium facturus mihi videor, si paucis memorabilem illam Pauli, quam vocant, conuersionem, magna adhuc impeditam difficultate, quoad fieri liceat, explicem. Rem igitur esse miram, qua de loqui instituimus, quis negare audeat? Attamen si qui attentius aduertamus animum, inueniemus, opinor, euentu magis et casu, quisquis ille fuerit, accedente, quam per se ipsam, miraculi prae se ferre similtudinem. Quantulum enim tandem fuisse putamus, quod Paulo aliter, quam adhuc senserat, esset sentiendum, vt ex Pharisaeo fieret Iesu, Nazareni, apostolus? Deum

quidem haud debuit, vt ita loquar, mutare; nisi quod, quem suae praecipue gentis patronum hucusque coluerat, iam Christianus coleret populorum aeque omnium, quem ita colendum ex Iesu ore dudum acceperat *). Neque vero necessum erat illi, vt de Messia plane nouam opinionem susciperet, quam cum lacte nutricis nimirum suxerat. Itaque vno solo obstaculo, quo minus ab initio crederet, quod dein credidit firmissime, impeditus erat hoc, quod Iesum esse, quem et ipse semper cupide

*) Paulo Iesum de facie notum fuisse vix potest dubitari. Primum enim ille vixit Hierosolymis eodem tempore, quo hic in ea vrbe affuit identidem. Quis vero coniiciat, Paulum, iuuenem sectae suae studiosissimum et propter ingenii vigorem sciendi cupidissimum, nunquam fuisse inter Pharisaeos, tam saepe et cateruatim Iesum adorientes? Quis, eum magno cum gaudio spectasse necem Stephani, neque tamen videre voluisse Iesum cruci summa in populi frequentia, et Pharisaeis maxime instigantibus affixum? Deinde autem ipse Paulus adeo nusquam, quod legamus, negauit a se Iesum viuum conspectum auditumque, vt locis saltim duobus idem affirmare potius videatur haud ambigue, nempe 1 Cor. IX, 1. et 2 Cor. V, 16. Quod interim Iesu personam ad Damascum sibi obiectam non agnouit illico, quaerens ex eo, quis esset, minime nobis videbitur mirabile cogitantibus, illam Paulo hoc quidem loco ac tempore non vulgariter apparuisse, sed per visionem, somnio, quantum iudicare possimus, haud oppido dissimilem.

exspectaret, Messiam, negandum sibi existimauerat. Cur vero? Haud dubie noster, vt caeteri bonae mentis Israelitae, ob vnum istud Iudaeo cuique abominabile crucis scandalum. Viuum illi Messiam volebant, non mortuum, nedum morte exstinctum turpissima. Quid autem, si adhuc viueret, quem praeter Christianos nemo non ferebat mortuum, immo quem in cruce efflato spiritu a suis sepultum nossent omnes, qui eo tempore versabantur Hierosolymis? Scilicet hoc vno miraculo, quod bene ante me monuit Niemeierus, V. S. V., egebat ad prorsus credendum euangelio Paulus, homo per naturae aetatisque vehementiam pronus ad auide arripiendam, quam modo damnauerat, sententiam, Gamalielis autem institutione, et fortassis etiam Christianorum a se crudeliter tractatorum nobili constantia, dudum ad dubitandum de bonitate caussae, cui adhuc, ne dissimilis sui et Pharisaeismi lenior, quam ante fuisset, fautor ac vindex suis videretur sodalibus *), strenue militauerat, edo-

*) Memoratu digna videntur, quae Wetstenius ex Rabbinorum scriptis collecta in praefat. ad nostr. P. epist. retulit de Samuele quodam paruo, quem ille interpretatur Paulum, ex quibus patet, si quidem ad hunc pertineant, eum iam tum, quum adhuc esset inter Pharisaeos, a condiscipulis saepius accusatum esse de nimis languescente erga scholam studio.

ctus; quod quidem miraculum illa prope Damascum facta qualicunque visione eum fuisse expertum verba Lucae et ipsius (cf. Act. IX, 17. 1 Cor. XV, 8.) contestantur, in eoque illum ceu certissimo de Iesu, Messia, testimonio semper acquieuisse, inde patet, quod vbique ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν hanc huic dignitatem plane diuinam exstitisse contendit, quem praeterea nunc in coelis viuere, aliis quidem olim mortuis similiter ad vitam neutiquam reuocatis, ita sibi maxime habuit persuasum, vt eum coram quibuslibet aperte praedicaret, ipse sine dubio firmissime credens, mox coelitus viuum rediturum in terras ibique splendidissimo rerum hominumque omnium imperio potiturum. — Quod autem Paulus semel relicta Pharisaeismi potius, quam Iudaismi (nam hunc, modo correctum, adhuc se colere saepe et constanter perhibuit) professione, maximo cum feruore ante a se defensa, celerrime ad Christianismum se conuertens nunquam ad illam se recepit, id sane adeo non mirum nobis videri debet, vt deberet potius, si ostenderetur contrarium. Laesam quippe conscientiam maleque ex crudelitate in Christianos exhibita affectum animum ille, vir Dei amans atque metuens, simulac, quod verum esset, didicisset, secum per totam, quam vlterius degebat, vitam quasi circumferens nihil ad mortem vsque habuit antiquius sanctiusque,

quam vt scelus, quod aduersus Iesum eiusque cultores admiserat et cuius memoriam semper tristissimam nullo tempore deposuit, qua posset longissima studiosissimaque bene de vtrisque illis promerendi cura ac diligentia expiaret et elueret.

Huius igitur tanti talisque viri epistolam iamiam lecturi de iis porro, ad quos illam transmissam ex ipso eius exordio nouimus, pauca nunc praefabimur. Fuerunt illi quidem Christiani, — quos interim hoc nomine Paulus nunquam appellauit vllos, vt puto, ne sectae inuidiam vel crearet vel aleret, quam Christianorum coetum haberi sciebat profecto, sed improbabat — iique versantes tum, quum haec ad eos veniebat epistola, Romae, in maximi vrbe imperii, quamquam illi non omnes aut nati Romani, aut sedem ibi fixam habentes. Mixti erant ex hominibus natione Iudaeis et aliis, quos Iudaei, scilicet pro sacro suo fastu, se multo inferiores quasi Deo iudice ducentes communi eaque, quantum putarent, inhonesta גוים i. e. gentium vulgarium, appellatione notare consueuerant. Quod autem illi fastidium erga gentes praeter suam omnes a teneris solebant suscipere, vnde etiam iis „odium generis humani" a Tacito tributum videtur, id nec Christiani facti totum deponebant aduersus gentiles in eandem

Iesu Messiae societatem secum receptos; quos si minus ad omnis legis Mosaicae, cuius ipsi, licet ad Christianismum conuersi, semper tenaciores fuerunt, obseruationem cogerent, secundo certe loco numerabant tractabantque inter Dei ex Iesu regula cultores. Quis proinde miretur, natas esse ex hoc turbido fonte in omnibus primi aeui Christianis ecclesiis dissensiones, rixas, σχίσματα? Etenim Gentiles contemtiores habitos a Iudaeis, quos ob superstitionem paene anilem illi, si paulo essent prudentiores, fere despiciebant ridebantque, nonne suo rursus erga hos fastidio affici atque, si occasio ferret, vti oportuit? Talis igitur discordia, tale bellum internum, apud eos quoque, qui Romae degebant, Christianos vigebat tum, quum Paulus hanc ad eos missurus erat epistolam; vt dubium sit adeo, an tum temporis iam ordo conformatioque ecclesiae satis stabilis inter illos exstitisset, quod saltim nec ex epistola nostra potest intelligi, nec alio cuiusdam certo comprobari testimonio. Quinimmo nec id constat prorsus, quo tempore quoue auctore et modo fides Iesu Messiae tributa Romam perlata fuerit. Nam opinantur quidem fere omnes, quos vidi, interpretes epistolae, primordia coetus apud Romanos christiani repetenda esse a nonnullis ex eorum numero, qui „ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι" a Luca narrantur interfuisse memorabili illi apostolo-

rum inaugurationi, quam coelitus euenisse Act. II, 7. ss. relatum legimus; sed id sine omni veritatis documento, ob eam solam, credo, caussam, quia nescirent alios, quibus illa attribuerent. Probabiliorem certe putauerim equidem coniecturam, qua Frankius, epistolae nostrae interpres haud contemnendus, primus, quantum sciam, vsus est: accidisse casu, nobis nunc ignoto, vt per Iudaeos, fautores Iesu Messiae, Romam, sedem imperii, cui parebant, mercaturae faciendae caussa profectos in hac vrbe partim Iudaei, quorum diu ante ibi fuit colonia, partim Gentiles, sed hi pauciores, ad nouam religionem quodammodo adducerentur; qui tamen eo potissimum tempore, quo haec ad illos dabatur epistola, nondum satis inter se coniuncti ad vnitatem ecclesiae virum exspectabant apostolicum, qui sublatis, quibus adhuc implicati essent, dissidiis pacem ipsis concordiamque vere christianam afferret. Ac talem iis Paulus, id ipsum ab initio et in fine epistolae, cui nos legendae praeparamus, claris verbis professus, vtique se praebere voluit.

Restat, vt de scribendi, quam ille habuit, occasione consilioque et nonnullis rebus similibus, quae opus esse videantur, iam subiiciamus. Et hic quidem primum quaeritur, vnde innotuisset apostolo status

Christianorum Romae vtcunque collectorum, qualis nunc esset, quippe cuius ratio praecipue illum ad has iis litteras scribendas permouere potuit. Nam ipse, vt constat, nondum adhuc Romae fuerat, nec omnibus eius loci Christianis erat notus de facie. Ad soluendam igitur illam quaestionem, quum nec plura habeamus, nec alia, hoc vno et nos contenti sumus, quod vulgo dicitur: veri esse simillimum, Paulo de horum rebus Christianorum nuncium allatum esse ab Aquila, Christiano, genere Pontico, quem Lucas Act. XVIII, 2. 3. narrat Roma Corinthum nuper degressum et a Paulo hic deprehensum per aliquantum temporis ibi mansisse, vinculo contubernii cum ipso ad familiaritatem coniunctum. Accedit autem, quod Paulus, quum haec de illis accepisset, quae prodiderat Aquila, in spe erat, fore, vt ipse breui Romam proficisceretur, quia, vt testatur Rom. XV, 24. per vrbem in Hispaniam, prouinciam, euangelii docendi caussa traiicere sibi proposuerat; quare hanc epistolam ad Romanos Christi cultores et sui, epistolis fere grauioris, quam praesentia (2 Cor. X, 10.), et suae doctrinae, ipsis breui plenius impertiendae, commendatricem praemittere voluisse putandus est. De consilio iam ante diximus in vniuersum. Nam fuit sine dubio, vt Christianos, quos saepe appellauimus, praepararet ad monita disciplinamque suam, qui-

bus praesens id apud eos se effecturum sperabat, vt, qua adhuc carerent, ecclesiae satis firmam constitutionem reciperent; quae consilii eius summa hisce verbis sub finem epistolae (XV, 7.) positis haud obscure significari videtur: „Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ὑμᾶς εἰς δόξαν θεοῦ," quibus haec fere expressit apostolus: „Atqui igitur vos concordiam quaerite et colite mutuam ecclesiasticam, quemadmodum vobis a Messia simile beneficium eo tributum est, quod ille vos recepit in sanctum suorum numerum." Quum vero, quin ea, quae debebat, concordia et copulatio inter vtrosque illos, religione pares, natione diuersos, homines existeret, in Iudaeis hoc maxime adesset impedimentum, quod nimis adhuc ista populi sui coram Deo praestantia, quae credita legis sibi peculiaris diuina reuelatione continebatur, quasi quodam suo sanctitatis beatitatisque aeternae priuilegio, delectati fretique se digniores existimabant Christianis gentilibus, in his autem, quod offensi hoc Iudaeorum religioso fastu ac praeterea superstitioni eorum de cibis festisque diebus ex Mosaico instituto obseruandis aegre cedentes parum sese pronos ostendebant ad societatem ecclesiae, iis potissimum conditionibus, quibus illi cuperent, ineundam: apostolus haec rei vtilissimae et prorsus necessariae impedimenta ita deinceps remouere studuit,

primum, vt suis demonstraret populari-bus, non istis externis rebus, legi et caerimoniis vnice esse confidendum, si quis Deo placere vellet, sed dignitati potius morali (δικαιοσύνῃ), quae ex bene suscepta atque pure constanterque adhibita Iesu Messiae doctrina oriretur, deinde vt Ethnicos partim edoceret, religionem, quam olim coluissent, ducere ad omnis generis vitia ideoque ipsis haud esse gloriandum de sua philosophorum sapientia, partim autem admoneret, si quid nunc rectius in Deo venerando, quam Iudaei, viderent, non tamen hos esse spernendos, qui superstitione inueterata et paene sibi connata, quo minus cum ipsis sentirent in omnibus, prohiberentur. Attamen hoc clare monstrat epistola, multo difficilius Paulo visum fuisse negotium, vt Iudaeorum, gentis semper obstinatissimae, flecteret, quo vellet, animos. Cum his enim in ea egit praecipue, quibus de tota sua euangelii recte cognoscendi vtendique ratione verbis plurimis ad iudaicas opiniones fere vbique accommodatis exponendum censuit; vt sane videri possent non male iudicasse, qui existimarent, primarium huius epistolae esse finem, vt doctrinae euangelicae natura omnis, quae in fide christiana accurate definienda inesset, describeretur; quod iudicium, quatenus a veritate non prorsus absit, ex hucusque dictis opinor, satis a quo-

cunque illa nostra attentius meditato potest intelligi.

Iam si porro quaeramus, quodnam argumentum huius Paulinae sit epistolae, possumus quidem illud quaerentes ablegare ad ipsum commentarium, quo id maxime spectavimus, vt quae capita vbique ab apostolo tractarentur et qui eius ab alio ad aliud esset transitus, accurate significaremus. Ac profecto omnes singulas epistolae periochas hic enumerare labor longior videtur esse, quam vtilior. Iuuat interim hoc loco annotasse: partes illius generaliores, si a prologo (I, 1—15.) et epilogo (XV, 7—XVI, 17.) discesseris, esse duas, alteram, vt breviter appellemus, theoreticam, quae a I, 16. ad XI, 36. vsque pertinet, alteram vero practicam, quae inde vsque ad XV, 6.; quarum illam id habere thematis, quod reperitur I, 16. in verbis: „Τὸ εὐαγγέλιον δύναμις θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι“ i. e. divina cum vi et auctoritate hoc velle euangelium, vt Iudaeus aeque ac Ethnicus quisque, qui illo beari cupiat, relicta et reiecta, cui hucusque addictus fuerit, religione, totum se tradat ei persuasioni religiosae, ex qua vera animi virtus et vitae honestas prodeat, quam nos diceremus, „den moralisch-religiösen

Glauben;" cuius quidem thematis tractatio breuis (I, 18 — 32.) est contra Ethnicos (nisi quod periodus XI, 11 — 31. aliquatenus ad hos quoque monendos respiciat), contra Iudaeos autem (II, 1. — XI, 36.) longissima, plurimis a III, 1. inde quaestiunculis, comparationibus, defensionibus aliisque id genus interlocutionibus distincta et extensa, quarum omnium necessitatem auctori iudaicorum lectorum tandem expugnanda, si fieri posset, difficultas et morositas imposuisset; hanc vero, partem dico practicam, constare fere totam admonitionibus ad vtriusque classis romanos Christianos spectantibus, quas singulas ex ordine cognoscere cuique ex ipsa epistola fuerit facillimum.

Quo tempore Paulus hanc scripserit epistolam, multo minus adhuc inter doctos certa res est, quam quo loco. Hunc enim vix potest dubitari Corinthum, opidum satis notum omnibus, fuisse, quum ipse auctor non solum XVI, 1. commendet lectoribus Phoeben, diaconissam ecclesiae Cenchreensis, illi opido proximae, quae aut ipsa epistolam nostram ad Romanos pertulisse videtur, aut certe in eorum, qui perferrent, fuisse comitatu, sed etiam XVI, 23. Caium appellet hospitem tum temporis suum et totius ecclesiae, quem ex

1 Cor. I, 14. Corinthi degisse intelligitur. De tempore autem iudicantes ad veritatem proxime (coll. Rom. XV, 25 ss.) accedere videntur ii, qui putant, datas esse has litteras a Paulo breui ante iter illud Hierosolymitanum, quod Lucas Act. XX, 3. — XXI, 16. satis fuse, quoniam ipse fuit eius comes, enarrauit, quo quidem tempore ille refert (Act. XX, 2. 3.) Paulum moratum esse in Hellade s. Achaia, cuius et Corinthus fuit opidum, per tres menses, quorum igitur in spatium haec Pauli scriptio inciderit, anno I. C., quantum licet coniicere, quinquagesimo quarto confecta.

Confecit autem illam, quod ex Rom. XVI, 22. discimus, ita, vt non ipse sua manu exararet totam (videntur enim ab ipso scripta proprie, quae in fine legimus XVI, 25 — 27.) epistolam, sed ad hoc vteretur opera Tertii, scribae, ob eam, vt probabilis est opinio, caussam, quia ipse non satis callebat graecarum ductum litterarum. Cur autem graece ad Romanos, si quis quaesiuerit, certius nil video respondendum, nisi, quod Paulus latina parum, immo, quantum sciamus, minime doctus hanc vnam habebat linguam, qua cum romani ciuibus imperii sensa sua

posset communicare; graeca enim tum quidem inter Romanos quoque intelligebantur a plurimis. Quod enim Boltenius, caeterum vir non sine honoris praefatione nominandus, autumat, hebraice primum ab apostolo epistolas vel exscriptas vel dictatas dein a ministris eius illico in graecum sermonem esse conuersas sicque transmissas ad Christianos, quibus ille scribere voluerit, mehercle est coniectura vix digna, cui longa paretur refutatio, quippe quae cum solo plurimarum, quae in hac nostra potissimum epistola insunt, paronomasiarum aspectu tota euanuerit, vt ne addam locum Lucae Act. XXI, 37., quo Paulum graece sciuisse loqui fit testatissimum.

Atque sic tandem aliquando lectores optime, opinor, praeparati ad ipsum epistolae, cui haec omnia praefati sumus, studium cito transeant!

Ex corrigendis praecipua

1. in ipso textu occurrentia;

p. 25. l. 4. pro χηϛὸν lege χρηϛὸν.
p. 52. l. 7. pro λυγίσηται lege λογίσηται.
p. 60. l. 6. pro θλίφις lege θλίψις.
p. 89. l. 2. pro αὐτὴ lege αὐτή.
p. 89. l. 3. pro λαβὼν l·ge λαβοῦσα.
p. 155. l. 3. pro ἐλέει, ἵνα lege ἐλέει ἵνα.
p. 156. l. 3. pro ἡμῶν lege ὑμῶν.
p. 161. l. 7. 8. pro σπονδῇ lege σπουδῇ.
p. 163. l. 4. pro ὑφηλὰ lege ὑψηλά.
p. 168. l. 1. pro πεπλήροκε lege πεπλήρωκε.
p. 181. l. vlt. et p. 182. l. pr. pro πίϛεως. ἁμ. lege πίϛεως. Πᾶν δὲ ὃ οὐκ ἐκ πίϛεως, ἁμ.
p. 197. l. 3. pro αὐτη lege αὐτῇ.

2. in commentario.

p. 8. col. 1. l. 14. pro iniustitiam lege iustitiam.
p. 43. col. 2. l. 27. 28. pro fidem habentibus lege si fidem habeant.
p. 52. col. 1. l. 3. pro quodam lege quidem.
p. 53. col. 2. l. 10. pro circumcisione lege circumcisone.
p. 54. col. 1. l. 19. pro probitatem lege probitatis.
p. 65. col. 1. l. 1. pro 15. lege 13.
p. 68. col. 1. l. 16. 17. pro peccatorum lege peccatorem
p. 80. col. 2. l. 24. pro dicam lege dictum.
p. 82. col. 2. l. 26. pro daret lege duret.
p. 84. col. 1. l. 13. pro aliis lege alius.
p. 88. col. 1. l. 7. pro Nosque lege Absque.
p. 89. col. 1. l. vlt. pro deprehendo lege deprehendendo.
p. 93. col. 1. l. 2. pro Coll. lege Col.
p. 93. col. 2. l. 10. pro implicitatem lege infelicitatem.
p. 94. col. 2. l. 23. pro ortu pot. lege ortu et pot.
p. 96. col. 1. l. 24. 25. pro videbit lege videbat.
p. 105. col. 1. l. 5. pro quis lege qualis.
p. 115. col. 2. l. 10. pro nec ea lege necem.
p. 116. col. 2. l. 19—21. pro aliqua m. potentia lege vllam aliquam m. potentiam.

p. 119. col. 2. l. 19. pro am. συμπαθ. lege am. et συμπαθ.
p. 121. col. 2. l. 20. 21. pro geminis lege genuinis.
p. 122. col. 2. l. 10. pro gemini lege genuini.
p. 128. col. 1. l. 22. pro rasa lege vasa.
p. 131. col. 2. l. 24. 25. pro probit. dico lege probitatem, probitatem dico.
p. 132. col. 1. l. 3. pro quae lege qua.
p. 136. col. 2. l. 22. 23. pro σωθήσεται lege σωθήσῃ.
p. 144. col. 1. l. 10. pro vt lege et.
p. 149. col. 2. l. 1. pro quidem lege quos quidem.
p. 159. col. 1. l. 8. pro Ethnicone lege Ethnicoue.
p. 160. col. 1. l. 25. pro V. 3. lege v. 3.
p. 162. col. 1. l. vlt. et col. 2. l. 1. pro exhibite lege exhibete.
p. 163. col. 2. l. 10. pro potuit lege potuerit.
p. 168. col. 2. l. 13. pro habiris lege habiris).
p. 169. col. 1. l. 24. pro 17. lege 11.
p. 175. col. 2. l. 24. 25. pro probatur lege probatus.
p. 176. col. 2. l. 1. pro offururis lege effecturis.
p. 177. col. 1. l. 15. pro praemium lege praeuium.
p. 183. col. 2. l. 4. pro meliore lege meliores.
p. 187. col. 1. l. 24. 25. pro Christ. enasc. lege Christ. statu enasc.
p. 190. col. 1. l. 11. pro h. l. scr. lege h. l. ad scr.
p. 204. col. 1. l. 17. pro exigit lege erigit.
p. 207. col. 1. l. 13. pro quae lege quod
p. 207. col. 1. l. 22. 23. pro doctrinae, arg. lege doctrinae christianae arg.

N o t a.

Ex duobus locis epistolae, quibus quasi thema quoddam partis illius theoreticae contineri dixi, altero in praeparatione, altero autem ad finem commentarii a me proposito, quamuis inter se simillimis, — vnde hic per obliuionem error natus est, — tamen, si qua electione opus sit, priorem (I, 16.) posteriori (I, 17.) praeferendum iudicauerim.

EPISTOLA
PAULI TARSENSIS
EX PHARISAEO APOSTOLI IESU CHRISTI

AD

CHRISTIANOS ROMAE DEGENTES

PLURIMAM PARTEM IUDAEOS NATOS

OPERA TERTII CHRISTIANI PERSCRIPTA

ATQUE

HOC PERPETUO COMMENTARIO

ILLUSTRATA.

I, 1.

Παῦλος, δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ, κλητὸς ἀπό-

Salutat auctor lectores suos I, 1—7., idque formula tum longiori, quam solet alias, quod animo eius pleno rerum, quas iam tractaturus erat, et grauitate et necessitate tribuendum videtur, tum propria christianis apostolis, nempe religiosa, pro pietate, cui illi, Iudaei nati, a pueritia inde adsueti essent, ad Iesum Messiam, ex quo huic nomen dedissent, maxime colendum directa: Παῦλος — κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ! Paulus (quo de nomine auctoris vide, quae in praeparatione a nobis dicta sunt!), minister (eminentiori sine dubio sensu, quam quo e. c. XIV, 18. omnes Christiani „δουλεύοντες τῷ Χριστῷ“ dicuntur atque ad exemplum Hebraeorum, prophetas suos עַבְדֵי יְהוָה nuncupantium, accommodato, quum hi non magis Iehouae, Dei, quam apostoli christiani Iesu Messiae, qui ipsis pro Deo erat, iussa docentes agentesque exsequerentur) Iesu Messiae (i. e. Iesu s. Iosuae, illius Nazareni, qui est Messias, — heu, quanti honoris ac pretii nomen iudaeis indeque etiam e gentibus Christianorum, iudaice hac in re sentire edoctorum, auribus!), ex vocatione (cf. Gal. I, 15. coll. Ies. XXII, 20.) apostolus („berufener Apostel“ i. e. legatus, „Missionär“ sc. Iesu

ϛολος, ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, — ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ

Messiae, legitimus; quae duo „δούλου" et „ἀποςόλου" nomina hoc saltim differunt, quod „δοῦλος τ. Χρ." esse poterat (cf. Phil. I, 1.), qui non idem erat „ἀπόςολος," vt igitur apostoli, κατ' ἐξοχὴν sic appellati, essent ex „δούλων τ. Χρ." s. „Θεοῦ" communiori genere), selectus (a Deo ex caeteris vel hominibus vel Iudaeis, sicque destinatus) ad euangelium (doctrinam laetabilem, quia salutarem, cunctis audituris) Dei (i. e. cuius auctor et patronus Deus est, sc. „tradendum gentibus"; hoc enim, hic statim additis veluti absorptum, repetendum vero ex post dictis: „δι' οὗ — αὐτοῦ" suppleri debere puto propter constantem Pauli professionem similem, cf. Gal. I, 15. 16.), — quod (haec verba: „ὃ προεπηγγείλατο — κλητοὶ Ἰησοῦ Χριςοῦ" non tam ipsius salutationis, quam cum salutatione coniuncta, parentheseos loco habenda sunt et pertinent ad „euangelium Dei", quod P. iamiam studiose expositurus erat, praeuia quadam descriptione et determinandum et vero etiam commendandum) promisit olim (Deus, modo appellatus; vocabulo quidem προεπαγγέλλεσθαι paronomasiam τοῦ: „εὐαγγελίου" referente) per prophetas suos in sacris (Iudaeorum) litteris (quam rem Paulus monet vrgetque passim et cum studio, vt pateat nimirum, adeo novam illam Iesu et de Iesu doctrinam haud esse, vt non ea prolata Deus, olim quoque ad Iudaeos locutus scilicet, optime sibi constet, immo eandem cum Hebraeorum antiquioris aeui oraculis sic congruere, vt, qui his crediderit, non possit non et illi fidem dicare suam; quod mirum quantum ad persuadendum Iudaeis de verita-

γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ

te sanctitateque euangelii valere debuit), („quod agit") de filio eius (quo nomine insignitur Messias, quia rex est et dominus, Deo acceptus et ab eo constitutus, isque, vt regum diuinorum summus, ita etiam „Dei filius" omnium dilectissimus adeoque vnicus, cf. e. c. Ps. II, 7.), qui est ex posteris Dauidis (hos enim natales in Messia suo Iudaei, quamquam a Iesu, vt videtur, improbati, requirebant, cf. Matth. XXII, 41—46.), quatenus naturalem (i. e. qui ipsi cum omnibus communis esset hominibus) habuit originem, quique idem destinatus est (ὁρισθεὶς maius aliquid sonare videtur illo simili „ἀφωρισμένος") filius Dei (nempe „μονογενὴς" s. κατ' ἐξοχὴν sic appellandus, verbo: Messias) per (Dei) potentiam (i. e. vi et auctoritate ea, qua vtitur Deus in rebus extraordinariis decernendis, qualis est Messiae constitutio, cf. Col. I, 29. 2 Thess. I, 11.), quatenus coniunctus est cum spiritu (omnis omnium) sanctitatis auctore (sicut idem πνεῦμα dicitur, e. c. „πνεῦμα ζωῆς" i. e. vitae auctor, VIII, 2.; nisi quis malit: πνεῦμα ἁγιωσύνης sc. „Θεοῦ" esse spiritum sanctum Dei i. e. diuinum רוח הקדש cf. Ps. LI, 13. XXX, 5. (4.). Caeterum verba: κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης adeo certum luculentumque illorum: „κατὰ σάρκα" oppositum continent, vt hoc plane respectu interpretanda sint.), ex resurrectione mortuorum (i. e. eo, quod Deus illum e morte fecit reducem, quo scilicet miraculo prorsus singulari mortemque illius mirabiliter illustrante ei dignitatem Messiae debitam conciliarit demum, quae constans apostolorum doctrina est; cf. c. e. 1 Cor. XV, 14. 17. Act. XIII, 30. ss. XVII, 31. Praeterea nostro loco no-

πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν, δι᾽ οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ; ἐν οἷς ἐστὲ καὶ ὑμεῖς, κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, —

tetur ἀνάστασις νεκρῶν pro „ἀναστάσει ἐκ νεκρῶν", vt videtur, dicta, ne iteraretur eadem proxime antecedens particula.), („de") Iesu Messia, nostro domino (nam notioni Messiae, qui rex est, notio dominii per se coniuncta, vocabulo ἡμῶν ad Christianorum quasi regnum divinum accuratius restringitur), per quem (Dei nomine prorsus agentem) accepi (plural. pro sing., vt e. c. III, 8. 9. et saepissime alias, etiam ita, vt cum sing. pluralis permutetur eodem loco, e. c. 2 Cor. XI, 6.) beneficium (Dei), quod est in munere apostolico (quod ipsum interdum χάρις dicitur, e. c. XII, 3. Gal. II, 9. Eph. III, 8.), vt fidei (habendae euangelio) addictas praestarem (Sic dicitur obiectiue „ὑπακοὴ Ἰησοῦ Χριστοῦ" 2 Cor. X, 5. et: „τῇ πίστει ὑπήκουον" Act. VI, 7.) omnes (sine discrimine) gentes (iudaicam igitur cum omnibus reliquis, vt nimirum Christiani Romae versantes ex Iudaeis Ethnicisque conflati esse significarentur; nisi potius statuas, P. hic, vt alibi, se praedicare „Ethnicorum" apostolum, qui iidem nomine proximo „κλητῶν Ἰησοῦ Χρ." designentur) ex illius (I. Messiae) auctoritate (ideoque ad huius, inquit P., non ad meum nomen celebrandum, cf. 2 Cor. IV, 5.), e quarum (gentium ad euangelium accipiendum destinatarum) numero et vos estis (quibus verbis partim innuitur, cur P. non defuisset animus, ad hos quoque Christianos, quamquam vrbis incolas, scribendi, partim fit coniunctio parentheseos cum sequentibus ad ipsum salutationis te-

πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς Θεοῦ, κλητοῖς ἁγίοις! Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ, πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου, Ἰησοῦ Χριστοῦ!

norem pertinentibus), qui ex vocatione (Dei, cf. e. c. VIII, 30.) estis Iesu Messiae (i. q. Christiani) — omnibus (Iudaeis Ethnicisue natis; et forsan P. addidit πᾶσι de industria, si quidem „τὰ ἔθνη", quae in parenthesi appellabantur, non sint gentes dictae simpliciter omnes, sed nominatim ethnicae, quam explicationem hoc ipso vocabulo „πᾶσι" adiecto firmari crediderim) Romae degentibus (quamquam his non omnibus aut natis Romae aut sedem ibi fixam habentibus) dilectis Deo, ex vocatione sanctis (sc. „ταῦτα γράφει"; aut enim hoc, aut simile quid supplendum est. Nomina autem illa satis magnifica facta puta ad similitudinem titulorum, quibus gens iudaica (cf. 2 Chron. XX, 7. Ies. XLVIII, 12.) ad se ab reliquis omnibus honorificentissime distinguendam vtebatur, eaque intelligenda proprie de externa dignitate (cuncti enim sic appellabantur, vt Iudaei, ita Christiani quoque promiscue), cui tamen profecto apostoli internam aequalem vellent.)! Fauor atque felicitas a Deo, patre nostro et (sc. „a", nam ἀπὸ repetendum est, cf. Gal. I, 2. 2 Tim. I, 2. Tit. I, 4.) domino (nostro) Iesu Messia (sc. proficiscens) vobis (sc. „ἔστω" s. „πληθυνθείη"! quae sollemnis P. aliisque apostolis formula salutandi est, qua Deus quidem ornatur titulo mortalibus summe amabili, a Iesu, quantum sciamus, inducto, hic autem ipse praedicatur caput ecclesiae suae constitutum diuinitus)!

Exordium est epistolae, quod v. 8—15 legitur, quo auctor Romanis Christianis se pluribus nominibus commendare atque hanc suam ad ipsos scribendi, si qua sit, audaciam excusare studet. Inest igitur his

Πρῶτον μὲν εὐχαριςῶ τῷ Θεῷ μου διὰ Ἰησοῦ Χριςοῦ ὑπὲρ πάντων, ὅτι ἡ πίςις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Μάρτυς γάρ μου ἐςὶν ὁ Θεὸς, ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὡς ἀ-

quaedam captatio, quam vocant, beneuolentiae. Nos iam tractemus singula! Πρῶτον μὲν etc. Primum quidem etc. i. e. vt hoc ante omnia vobis significem; tanquam rem prae caeteris omnibus commemorandam, quippe lectoribus et laudabilem et vero etiam gratissimam. Sic solet noster a laudibus eorum, ad quos vel maxime carpendos scribit, incipere. Conferri potest de πρῶτον 1 Tim. II, 1. et Latini saepe „primum“ s. „primum omnium“ dicunt, nulla sequente particula, quae illi respondeat. εὐχαριςῶ — ὅτι etc. gratias ago habeoque („χάριν ἔχω“ 2 Tim. I, 2.) de eo, quod etc. τῷ Θεῷ μου. Additur μου more vtique hebraico, cf. Ps. V, 2. XXII, 2. nec in eo vocabulo emphasis quaerenda videtur, nisi quod amorem hominis erga Deum testatur, fere ut nostrum: „Ich danke meinem lieben Gott“. διὰ Ἰησ. Χρ. (sc. εὐχαριςῶ) per Iesum Messiam, i. e. agnoscens in ea re (quae mox dicetur) beneficium I. M. vobis tributum, plane vt VII, 25. coll. 1 Cor. XV, 57. ὑπὲρ, propter. πάντων; ex Iudaeis Christiani sitis, an ex Ethnicis. ἡ πίςις — κόσμῳ, pietas (christiana) vestra (praecipua et excellens) apud omnes (per vulgarem hyperbolam dictum, vt e. c. 1 Thess. I, 8.) gentes celebratur. Μάρτυς — Θεός. Formula iurandi iudaica: עד יהוה i. e. Deum ego testor. ᾧ — μου, quem (adhuc non minus, quam olim Pharisaeus, cf. Act. XXIV, 14.) colo animo meo. Conferenda haec puto sane cum 2 Tim. I, 3. „ᾧ —

διαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι, πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος, εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς, ἵνα τι μεταδῶ χάρισμα ὑμῖν πνευματικὸν εἰς τὸ στη-

συνειδήσει", sed inclusa πνευματικῆς (non σαρκικῆς, quae Iudaeorum erat et gentilium) λατρείας significatione, cf. Phil. III, 3. ἐν — αὐτοῦ i. e. in praedicando euangelio, quod filium ipsius nobis annunciat. En campum, in quo maxime spectabatur P. cultus diuinus! Cf. XV, 16. ὡς i. q. ὅτι, vt Marc. XII, 26. ἀδιαλείπτως, indesinenter i. e. ita, vt nunquam prorsus desinam s. identidem. Non enim stricte sumendum vocabulum, quo P. erga multas vtitur ecclesias. μνείαν — ποιοῦμαι, („quod") mentionem vestri faciam; cf. 1 Thess. I, 2. vbi a „μνημονεύοντες" clare distinguitur, coll. 2 Tim. I, 3. 4. De re ipsa cf. 1 Macc. XII, 11. 2 Cor. XI, 28. πάντοτε — δεόμενος, semper inter preces meas (id quoque) petens. Haec inter se coniungenda, ne ἀδιαλ. et πάντ. pleonasmum efficiant. εἴπως — ὑμᾶς, vt forsan (i. e. vt, si fieri possit, cf. Phil. III, 11.) tandem aliquando (Phil. IV, 10.) Deo volente (i. q. „διὰ θελήμ. θ." XV, 32.) contingat (3 Ioh. 2.) mihi ad vos venire. Quod ad rem attinet, P. his et statim sequentibus se lectoribus commendat ab amicitia erga eos sua, simulque innuit, se, quum nondum ipse venire potuisset, hanc mittere interim pro se epistolam. Ἐπιποθῶ — ὑμᾶς. Teneor enim desiderio vos videndi. Cf. 2 Tim. I, 4. ἵνα — πνευματικὸν, i. e. vt vos dono aliquo ad Christianismi (cuius auctor τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ et ipsa natura πνεῦμα est!) rationes facien-

ριχθῆναι ὑμᾶς; τοῦτο δέ ἐςι, συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίςεως, ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ. Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, ὅτι πολλάκις προεθέμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς (καὶ ἐκωλύθην ἄχρι τοῦ δεῦρο) ἵνα τινὰ καρπὸν σχῶ

te impertiam; quo satis iam significari videtur, in hisce Christianis desideratum adhuc esse hoc illud, quo perfecta religionis forma et conditione vterentur; id quod confirmant verba huius epist. plurima et, quae sequuntur illico: εἰς—ὑμᾶς, ad vos (in religionis caussa) firmiores reddendos; quamquam id apostolus, ne quid habeat offensae, statim mitigat hac quasi sui correctione: τοῦτο — ἐμοῦ i. e. quod (tamen) sic intellectum velim, ad (repetenda enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ sunt: „εἰς τὸ") vna vobiscum (ἐν ὑμῖν i. q. ὑμῖν, vt e. c. 2 Cor. VII, 16., nisi potius i. q. „apud vos s. inter vos") solatio (gaudioque) fruendum ex communi nostra (christiana) pietate. Num acutior sit iusto Bengelii, viri fere acuminosi, adnotatio, qua monet, non sine luculenta modestia „ὑμῶν" praecedere τό: „ἐμοῦ"? — Iam rursus P. apertius laudat consilium suum ad ipsos veniendi dudum animo conceptum. Οὐ — ὑμᾶς. Et sane nolo vos ignorare, fratres (i. e. Christiani s. mei in I. M. colendo socii; amabile profecto nomen, quamquam et hoc ex Iudaismo sumtum, quare etiam a P. interdum (e. c. VII, 1. 4.) ad Christianum, olim Iudaeum, separatim appellandum vsurpatur.) mihi saepius id fuisse propositi, vt ad vos venirem; cuius propositi mentio ex eo potissimum tempore, quo haec scripta sunt, exstat Act. XIX, 21. Sed addit in parenthesi: καὶ — δεῦρο, atque ad hoc vsque tempus impeditus sum; qua de re

καὶ ἐν ὑμῖν, καθὼς καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν. Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις, ὀφειλέτης εἰμί; οὕτω τὸ κατ' ἐμὲ πρόθυμον, καὶ ὑμῖν τοῖς ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελίσασθαι.

auctor XV, 19—22. paulo explicatius loquitur. Volui autem, nunc inquit, Romam proficisci, ἵνα — ἔθνεσιν, vt fructum aliquem (muneris et laboris mei apostolici, cf. Phil. I, 22.) haberem (in quo inest: „proferrem") apud vos quoque, sicut (habui et porro me habiturum spero) apud gentes reliquas. Semper enim planius auctor Romanis Christi professoribus se offert adiutorem ad ecclesiam inter ipsos rite constituendam; id quod declaratur etiam sequentibus: Ἕλλησί — εἰμί. Namque ego debens sum (debeo euangelii praedicationem quaeque negotia cum ea coniuncta sunt) Graecis atque barbaris, sapientibus atque minus excultis hominibus i. e. omnino omnibus, quamquam facile potest coniici, P. Romanos suos prioribus in vtraque parte, non posterioribus, adnumerari voluisse, quasi diceret: namque ego non minus Graecis i. e. cultioribus (altera pars enim alteram explicat, ne Ἕλληνες populi nomen videretur), quales nimirum et vos estis, Romani gente, sed Graecis sapientia similes, quam barbaris incultioribusque, quicunque fuerint, officia mea debeo. Vnde tandem in fine exordii deducit hoc: οὕτω — εὐαγγελίσασθαι, itaque (s. „hinc") ego promtus sum (τὸ — πρόθυμον i. q. „ἡ ἐμοῦ προθυμία", Act. XXVII, 2. 3 Macc. V, 26.) ad euangelium vobis quoque, (quamuis) Romae (in tanta talique vrbe) degentibus, tradendum. Ac profecto tradit hoc illis hac ipsa epistola, qua igitur id, quod paulo

Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον. Δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πι-

ante se cupere dixerat, vt „χάρισμα πνευματικὸν“ Romanis impertiret, adhuc absens praestare studuit.

Accedit nunc auctor leni facilique transitu ad rem a se maxime tractandam, nempe ad docendum, quae vis ac natura sit euangelii christiani, monens: Οὐ — εὐαγγέλιον i. e. Nullo enim suffundor pudore (cf. 2 Tim. I, 8. 12.), quin profitear me et amicum et doctorem euangelii sc. „τοῦ Χριστοῦ“, quod et hic aliqui codd. addunt. Quod quidem arctissime cohaeret cum illo: promtus et paratus sum, vbicunque apud omnis generis auditores lectoresue de euangelio I. M. dicere eiusque veritatem persuadere omnibus. Athenis iam, in vrbe Graeciae nobilissima, palam professus fuerat suam doctrinam, nunc Romam quoque, sedem orbis terrarum, epistolam euangelicam transmittere haud pudore refugit, vbi praeterea videtur reperiri credidisse, immo sciuisse, homines, adhuc nimium Iudaeos, a quibus ipse, euangelii praeco, facile posset haberi accusarique legis patriae aduersarius. Sed idem illud etiam proximum est iis, quae sequuntur, quae caussam modo dicti (cur eum non pudeat euangelii) continent, simulque tanquam thema quoddam sunt totius nostrae, quatenus dogmatica est, epistolae: Δύναμις — Ἕλληνι! Etenim illud vis est diuina (i. e. inest illi diuina quaedam vis ac potentia, cf. 1 Cor. I, 18. 24. coll. II, 5. IV, 20.), salutaris omni fidenti, Iudaeo quidem primum (cui apostolus prudens hanc gentis laudem addicit, quo tutius eum deinde vituperare liceat) tum etiam (non minus, quam illi, quamquam huic suo nimirum ordine, cf. XV, 8. 9. ss.) Ethnico! Quibus haec

ϛεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι! Δικαιο-

fere docentur: 1.) propriam esse virtutem ac praestantiam doctrinae christianae eamque Deo auctore, qualem soli legi suae Iudaei hucusque tribuerant, cui igitur P. iam euangelium aequale praedicat, postea vero multo illa excellentius; 2.) hanc tamen virtutem eius non prodesse, nisi cum fide vel potius fiducia firmissima id recipientibus atque sequentibus, quam quidem πίϛιν, saepius in h. epist. appellatam, P. opponit (non, vt nunc „fidem“ solemus, scientiae et demonstrationi, sed) persuasioni, ritibus quibusdam et omnino cultu Dei, positiua lege praescripto, (cuius generis maxime fuerat iudaicus) placeri Deo sicque in spem veniri salutis aeternae olim fruendae; et tandem 3.) fidem illam praestari adeoque fructus euangelii percipi posse ab omnium gentium hominibus, minime Iudaeis solis, qui hactenus hoc ipsum sibi arroganter tribuerant, ethnicis populis i. e. caeteris praeter suum omnibus, quasi natura peccatoribus, hincque liquido olim aeternum miseris, superbe iudicatis. Intelligimus inde, quod ex multis clarioribus indiciis constabit sequentibus, P. haec scribenti potissimum rem fuisse cum suae gentis religiosis, vel potius superstitiosis, hominibus, quippe qui, etiamsi I. M. castra sequuti, tamen ne vix quidem a summa legis Mosaicae veneratione abstinebant, vnde comtemtus Ethnicorum, etiam Christianorum, et animus doctrinae Iesu ex parte tantum deditus in iis exstitit, qui non posset non in omni Christianorum coetu discordiae semina spargere tristissimae. — Δικαιοσύνη — πίϛιν; Probitas enim Dei illo (euangelio) manifestatur (noue docetur), quae sit ex fide in fidem; Frustra sine dubio laboraueris eandem vbique in h. ep. significationem quaerens vocabulo δικαιο-

σύνη γὰρ θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πί-

σύνης, tam varie a variis omni tempore intellecto et exposito. Nam, quae e. c. III, 5. laudatur, „θεοῦ δικαιοσύνην" minime nostri esse loci, quis non videt? Neque minus, opinor, ab hic dicta aliquid differt ea, quam auctor XIII, 17. requirit in Christiano homine, quae nostra „virtus" est, c. VI. saepius memorata. Illud igitur h. loci nomen „δικαιοσ. θεοῦ" rectissime explicari puto ex X, 3. et Phil. III, 9. de probitate (Bewährtheit, Rechtschaffenheit) animi et vitae, quam (non ipse homo sibi sumat et acquirat, sed) Deus (homini) partim monstret ac praecipiat, partim vero etiam tribuat et adsignet; quae caeteroquin eatenus quasi duplicem habet formam, quatenus spectatur vel tanquam status animi inculpati (Untadelhaftigkeit, Würdigkeit, Unschuld, vor Gott), qui respectus hic potior est, sicut etiam X, 10. „σωτηρία" geminatur „τῇ δικαιοσύνῃ", vel tanquam mentis morumque quaedam ratio (Aechtheit der Gesinnung und des Wandels vor Gott, Tugendhaftigkeit), c. VI. veluti persona commendata, quae „δικαιοσ. θεοῦ" dicitur loco planissimo Iac. I, 20. Ergo illam, obiectiue sumtam, apostolus dicit euangelio suo, quod I. M. est, ἀποκαλύπτεσθαι i. e. ignotam adhuc Iudaeis aeque ac Ethnicorum vulgo nunc manifestari (i. q. „πεφανερῶσθαι" III, 21. qui locus omnino nostri est simillimus) eamque quidem δικαιοσύνην ἐκ πίστεως εἰς πίστιν (cf. VI, 19. 2 Cor. II, 16. IV, 17.) i. e. e x (s. cum) f i d e, vt ita dicam, e g r e d i e n t e m et in f i d e m p r o g r e d i e n t e m s. quae fide incipiat et in fidem semper magis excrescat; fidem autem P. dicit non istam „νεκρὰν" Iacobi, quae nil nisi persuasio sit, sed, quam ipse et Iacobus volunt ac vnice commendant, „δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην" (Gal. V, 6.), qua Christianus fiat „καινὴ κτίσις"

ςεως εἰς πίςιν; καθὼς γέγραπται: „Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίςεως ζήσεται."

(ib. VI, 15.) in „τηρήσει ἐντολῶν θεοῦ" (1 Cor. VII, 19.). Sublatis enim ex religione prorsus omnibus legis diuinae priuatae, quae Mosaica fuerat, operibus quid tandem praestituro pietatem, Deo probandam, relinquebatur praeter eam animi vitaeque conditionem, quam nos appellamus virtutem moralem, coniunctam illam quidem cum fiducia, Christianis scilicet in I. M. auctoritate ponenda, illam satis esse ad optime placendum sancto Dei numini? Similiter Paulo Herderus de religiositate ait: „Sie fordert Glauben, sie bauet auf Glauben, sie wirkt Glauben". Et illius quidem „δικαιοσύνη θεοῦ" subiectiue cogitata, quid est aliud, quam religiositas? Haec de singulis! Quod ad totam enunciationem attinet, spectat ea, vt opinor, non tam ad „δικαιοσ. θεοῦ" christianam omnino praedicandam, quam illuc, vt doceatur, esse illam „δικαιοσύνην" non quamcunque, sed nominatim „ἐκ πίςεως εἰς πίςιν" i. e. cum fide, re intellectus, animi, vitae morumque, semper coniunctissimam; hoc enim et praecesserat (vocabulo „πιςεύοντι") et sequitur. Καθὼς γέγραπται. Notus est verborum sensus. Hoc tamen velim meminerint lectores, P. prudenter, — aut ad argumentum vel saltim pondus addendum suis sententiis, aut ad ea excusatius pronuncianda, quae si ipse suis dixisset verbis, aliquantum offensae habitura viderentur, — vti dictis scripturae tum temporis vnice sacrae, quippe cum Iudaeis, quibus illa erat maxime, agentem (ne enim temere factum existimes, quod in epp. ad Philipp., Coloss., Thessall., loca V. T. nulla disertis verbis afferret) ideoque semper id potissimum spectandum esse in apostolo eius rei consilium, quod nexus orationis indicet, caussa quidem vaticiniorum plane

Ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων, τῶν

in medio relicta. „Ὁ — ζήσεται". „Qui autem probus fuerit, ex fide (i. e. fide Deo praestanda) saluus (i. e. salutis aeternae particeps, P. nimirum interprete) erit". Locus est Habacuci II, 4. (retento, hic otioso, δὲ, omisso vero, si quidem LXX. respicias, „μου" huc minus quadrante) bis praeterea laudatus in N. T., a P. ipso Gal. III, 11. et ab ἀνωνύμῳ Ebr. X, 38., quo ille h. l. confirmat, „πίστιν" (in hoc enim hic haeret vocabulo) esse rem tum necessariam tum summi vtique momenti ad beatitatis a Deo venientis spem faciendam. Neque tamen necesse videtur, cum Knappio et Griesbachio, contra verborum in V. T. contextum, „ἐκ πίστεως" ad „δίκαιος" retrahere. Propheta quidem loquitur de bona fortuna eius, qui vaticinio suo de rege Assyriae mox reprimendo crediderit.

Ἀποκαλύπτεται — οὐρανοῦ. Transit apostolus ad demonstrandam necessitatem euangelii Ethnicorum caussa, quippe qui sine religionis iusta ac vere salutari notitia, nempe euangelica, licet cognitione Dei haud omnino destituti, in plurima ac turpissima vitia inciderint, nexu facto per γὰρ, quod ad praecedens „δίκαιος" respicit. Prudens autem de Ethnicis grauissime incipit dicere, quae eadem post dicturus est aduersus Iudaeos, hac Ethnicorum vituperatione, ne dicam exsecratione, tum iam quodammodo delinitos. Vtrisque enim (I, 18 — III, 30.) voluit demonstrare necessitatem doctrinae suae, priusquam eius bona vberius exponeret. Vertemus igitur: Eodem enim euangelio manifestatur (eleganter repetit auctor vocabulum ante positum) quoque ira (poena, vindicta) Dei coelestis i. e. coelitus olim demittenda; qualem

τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. Διότι τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐςιν ἐν αὐτοῖς, (ὁ Θεὸς

quum Ethnici nullam adhuc metuissent, propriam euangelio (cf. 2 Thess. I, 5—10.) praedicare poterat; idque, sic pergit apostolus, ἐπὶ — κατεχόντων, super omnem impietatem (hanc enim potissimum Ethnicis ibat exprobratum) improbitatemque mortalium veritatem (religiosam ac vere salutarem, qualis euangelica; quae saepe „ἡ ἀλήθεια" dicitur simpliciter) cum improbitate (quod vocabulum hic non eleganter bis ponitur, sed prima quidem vice cum respectu ad antecedentia „δίκαιος" et „δικαιοσύνη", altera autem ex more loquendi Paulino, e. c. II, 8. 2 Thess. II, 12. obuio) impedientium. Πᾶσαν i. e. qualiscunque et quorumcunque ea fuerit, etiam celsissimorum et pro suo suorumque iudicio sapientissimorum hominum. Διότι — αὐτοῖς. Nam id, quod de Deo sciendum est (cf. LXX. Gen. II, 9.; alia quaeuis interpretatio aut exemplo caret, aut cum τῷ: „φανερὸν — αὐτοῖς" non satis conuenit), inter illos (1 Cor. XI, 19.) aperta res est. Διότι refero huc: iuste Deum irasci talibus, quia ipsum haud ignorantes tamen in eum peccarent, quare etiam non haberent, quo recte possent excusari. Ὁ — Θειότης. Haec omnia parenthesi includenda puto; explicant enim priora non minus, quam posteriora, quatenus „τὸ γν. τ. Θ. φανερὸν ἐν αὐτοῖς" sit, hoc quidem sensu: Deus enim (ipse) eis (illud „τὸ γνωςὸν ἑαυτοῦ") aperuit; etenim inuisibilis eius natura inde a primordio mundi (Sir. XVI, 26. Matth. XIII, 35. Tamdiu Ethnicis illa potuit innotescere!) peruidetur (si quis velit peruidere, ergo i. q. se praebet peruidendam; καθορ. alludit τῷ: ἀόρατος) ex operibus (nempe rebus creatis, contemplando) in-

γὰρ αὐτοῖς ἐφανέρωσε; τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης) εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Διότι γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν; ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία.

telligenda, nimirum aeterna eius potentia (omnipotentia) ac diuina maiestas; — εἰς — ἀναπολογήτους, ita vt excusatione (satis iusta) careant. Quod sane monendum fuit, ne iniusta videretur praecedens (v. 18.) et modo subsequens longior vituperatio. Idem tamen illud argumentum apost. paulo aliter, pro eo, quod ibi habebat, consilio, tractat Act. XIV, 16. 17. coll. XVII, 27—30. Διότι — εὐχαρίστησαν. Atqui instructi cognitione Dei (si vellent) minime vt Deum (haud pro eius dignitate) nec laudibus neque grato coluerunt animo. Incipit hinc apertior increpatio Ethnicorum propter idololatriam, quam Iudaei, quum in vno vniceque vero Deo colendo summam religionis suae praestantiam ponerent, semper et verbis grauissimis taxarunt, quamque etiam, vt hic apostolus v. 24. 26. 28., voluerunt esse fontem, ex quo, vel caussam, ob quam, Deo scilicet puniente, reliqua omnis Ethnicorum vitiositas oriretur. Cf. omnino cum l. nostro Sap. XII, 22 — XIII, 9. et XIV. vbi v. 27. clare dicitur: „ἡ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία παντὸς ἀρχὴ κακοῦ καὶ αἰτία καὶ πέρας ἐστίν". Ἀλλ' — καρδία, sed coeperunt esse insipido intellectu (ματαιοῦσθαι, vt hebr. נִסְכַּל 1 Sam. XIII, 13.) et animus eorum male sanus coepit inuolui tenebris. Si-

φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν· καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν. Διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν

milis locus Eph. IV, 17. 18. Hoc et quod sequitur indicationem continet praeviam et vniuersam idololatriae inter Ethnicos enatae et hucusque grassatae. Caeterum verisimillimum est, P. colores picturae suae repetiisse ex his illis V. T. locis, sibi facile in hac re describenda obuersantibus. Cf. e. c. Ier. II, 5. Φάσκοντες — ἐμωράνθησαν. Iactantes sese sapientia stulti facti sunt. Apposite dictum! Bengelius vult conferri Ier. X, 14. Similiter P. ipse 1 Cor. I, 20. „Ἐμώρανεν ὁ θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου". Καὶ — ἑρπετῶν, ac maiestatem Dei immortalis (ipsis solam omni modo colendam, i. q. Deum maiestaticum) assimilatis (eius) imaginibus (in speciem) hominis quidem mortalis, immo volucrium, quadrupedum reptiliumque deturparunt. En claram idololatriae expositionem et censuram (ex Ps. CVI, 20. Ier. II, 11. conflatam) aliis dein verbis repetitam! Διὸ — ἑαυτοῖς. Quamobrem (Sap. XIV, 12. „ἀρχὴ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων".) Deus illos tradidit (voluit incidere in etc. Quantum hoc sibi velit, patet ex Ps. LXXXI, 13. (12.) Prov. XXI, 8. Sir. IV, 19. Act. VII, 42. 2 Thess. II, 11. Nostram enim philosophicam permittendi immittendique in Deo distinctionem, speciosam magis, quam veram, a P. locutione vel potius iudicandi ratione iudaico-christiana alienam duco.) per ipsorum cupiditates (pravas) impuritati, ita vt (per illud τοῦ cum infinit. LXX exprimunt

καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς; οἵτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα; ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας! Ἀμήν. — Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας. Αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν

hebr. ל infinitiuo iunctum, e. c. Gen. XXXIV, 17. 19. 22.) dehonestarent sua inter se (cf. 1 Cor. XI, 18.) mutuo corpora (nisi potius: dehonestarentur eorum („αὐτῶν") corpora in ipsis; nam ἀτιμάζεσθαι etiam passiue dicitur, e. c. Sir. VIII, 4.). Οἵτινες — κτίσαντα. Qui nimirum veritatem Dei (i. e. verum Deum. Sic fere Theodoretus; ita vt antea „δόξα τ. θεοῦ" et IV, 19. „νέκρωσις τ. μήτρας"; cf. Eph. IV, 21.) permutarunt (corruperunt) in mendacia (Plin. XXXV, 6. i. e. Deos fictitios, cf. Ies. XLIV, 20. et saepius in V. T. Bona glossa Lutheri, h. epist. totam summo cum studio interpretati: „aus dem rechten Gott haben sie Götzen gemacht".) et venerati cultuque prosequuti sunt res creatas neglecto creatore (nempe παρὰ interpretor „contra", vt v. 26. XI, 24. XVI, 17. recurrit, non „prae" s. „magis, quam", quia P. haud dubie negauerit, omnino Deum vnum ac verum coli ab Ethnicis.); ὅς — Ἀμήν! Sollemnis Iudaeis et P. doxologia, praesertim adhibita, vbi de idolorum vanitate sermo est, ne quasi horum mentione aliquid maculae videatur aspergi Deo vni, vero ac sanctissimo. Διὰ — ἀτιμίας. Hanc („inquam"; repetuntur enim ante v. 24. dicta ob grauitatem rei et vt explicetur vberius) ob caussam (sc. idololatriam) tradidit illos

μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν; ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄῤῥενες ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι, καὶ τὴν ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει, τῆς πλάνης αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες; καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ

Deus inhonestis affectibus. Αἵ τε — φύσιν. Quid longa expositione opus est? Ipse P. obscurius loquitur in re flagitiosa et modesto tegenda silentio. Χρῆσιν sc. sui, haud improbabiliter coniicit Bengelius. Ὁμοίως — κατεργαζόμενοι. Nota doctis et summa detestatione digna vitia sunt Graecorum Romanorumque, ab apostolo satis aperte significata, cui lucem affundere nec vsus nec animus est. Καὶ — ἀπολαμβάνοντες. Et (sic) mercedem, quam meruerant, erroris (cultus impii Deorum) in semet ipsis (nempe istis vitiorum inquinamentis a Deo propter idololatriam ipsis aspersis) reportantes; quae quidem explanatio mox sequentibus confirmatur. Καὶ — καθήκοντα. Atque sicut non probatum habuerunt (i. e. noluerunt; illud diximus, vt paronomasia, in ἐδοκίμασαν et ἀδόκιμος conspicua, quae figura est P. vsitatissima, exprimeretur) recta vti Dei notitia, (ita) tradidit illos Deus menti improbae, ea vt perficerent, quae repugnant honestati. Iam enim oratio auctoris in enumerationem vitiorum omnis generis, inter Ethnicos reperiundorum, excurrit, quae cuncta igitur

μὴ καθήκοντα, πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ, μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας, ψιθυριστὰς, καταλάλους, θεοστύγεις, ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας! Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπι-

consequentia vult idololatriae, quippe peccati ex Iudaeorum opinione longe maximi, quod omnibus tristissimis Dei violati poenis dignum sit. Πεπληρωμένους — ἀνελεήμονας! Sufficiat, haec de his adnotasse. Est haec nominum inhonestorum quaedam coaceruatio paene rethorica, qua quidem nec omnia gentilium, quae tum fuerunt, vitia comprehendi, neque vero magis singula suis quodque exemplis P. de Romanis innotuisse putandum est, similis illa vaticinio eiusdem apostoli, quod habetur 2 Tim. III, 2 — 5., Cf. etiam Sap. XIV, 22 — 26. Πεπληρωμένους potest coniungi grammatice vel cum „παρέδωκεν“, vel cum „ποιεῖν“; propter rem ipsam tamen hoc pracoptauerim, quum sequentia omnia illustrent τό: „ποιεῖν — καθήκοντα“. Difficile fuerit explicare, quid intersit potissimum inter ἀδικίαν, πονηρίαν et κακίαν, et quid inter ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους et ἀλαζόνας. Verba φθόνου, φόνου, dein ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, et ex parte quoque ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας iucundam quandam soni habent affinitatem. Θεοστύγεις malim cum acuto penultimae, quam cum vltimae circumflexo legere, quum sic demum vitii, non poenae, nomen sit, quod hoc in contextu requiritur. Οἵτινες — πράσσουσι. Quippe qui haud imperiti iuris diuini (משפט אל, id quod ex

γνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.

Διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε πᾶς ὁ

Dei lege iustum est, saepe memoratur in V. T.) eius, quod quicunque talia patrantes supplicio (summis poenis) digni sint, non solum haec ipsa perficiunt, sed etiam (eadem) patrantibus assentiuntur (id quod maius illo est, quatenus perficimus mala saepe cum affectus, ex parte naturalis, impetu, ipsi mox, quod perfecerimus, improbantes, assensus autem praue factis exhibitus fere ex mentis plane peruersae liberiori iudicio proficiscitur. Caeterum concinnius foret oratio, si scriberetur „αὐτοὶ" pro αὐτὰ, quod interim P. scripsisse nullum exstat indicium).

Διὸ—κρίνων! Quamobrem (ex hac ipsa caussa, nempe quia non deest legis diuinae notitia, peccata vero adsunt) inexcusabilis es, homo, (o bone!) quicunque ferens (de aliis sinistrum) iudicium! Vix potest dubitari, iam hic auctorem cogitasse de Iudaeo, vel potius Iudaeo-Christiano, ad quem nunc quidem lenissime („πᾶς ὁ κρίνων"), sed deinceps cum semper maiori perspicuitate, oratio se convertit, donec tandem ipsum nomen v. 17., quamquam non sine longa praeparatione inductum, tamen quasi de improuiso exhibeatur. Sic fauet atque parcit suis apostolus! Agit autem hoc, vt ipsis demonstret, quod aliquanto post verbis luculentis (III, 19. 20.) posuit: Iudaeos quoque, licet diuina lege instructos, minime esse tales, quales Deus esse velit, quantumlibet sibi ipsi placeant, ideoque Ethnicos non magis egere religionis christ. auxilio,

κρίνων! Ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις· τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ ἐςι κατὰ ἀλήθειαν ἐπὶ τοὺς τὰ τοιαῦτα πράσσοντας. Λογίζῃ δὲ τοῦτο, ὦ ἄνθρωπε ὁ κρίνων τοὺς τὰ τοι-

quam Israelitas. Verba: ὦ — κρίνων! bene designant Iudaeum semper ad Ethnico propter vitiositatem maledicendum paratissimum, male vtique pium in hac re ἀλλοτριοεπίσκοπον. In vocab. ἀναπολόγητος videtur esse respectus ad idem ante (I, 20.) positum, vt igitur P. Iudaeos reprehensurus eodem fere modo, quo in Ethnicorum vituperatione, incipiat. Forsan etiam valet aliquid Schmidii coniectura, de Ethnicis P. hic loqui persona tertia, Iudaeos secunda appellare; hos certe tota epistola spectauit maxime. Ἐν — κρίνων. In quo (nisi potius: Eo, quod, vt hebr. באשר et nostrum: „indem“) enim iudicium fers de alio, aduersus te ipsum fers iudicium, quum eadem (sc. quae in aliis damnas) perpatres (tu) ferens iudicium. Illustrantur haec postea v. 21. 22., neque vero strictissime de omnibus Ethnicorum vitiis intelligantur, necesse est, quippe in vniuersum dicta. Οἴδαμεν — πράσσοντας. Vtique autem scimus (i. e. Et sane haud putauerim, cuiquam vestrum, o Iudaei, esse posse ignotum, quum tantopere saepe laudetis Dei iustitiam, cf. e. c. Cantic. triumvirr. 3—7.), iudicium Dei iustissimum (incorruptum, adeo vt perinde sit, Ethnicusne an Iudaeus aliquis peccauerit; nam idem fere dicit apertius v. 11.) agi contra eos, qui (quicunque sint) talia patrauerint. Λογίζῃ — Θεοῦ? An vero sic censes, o homo, qui de patrantibus talia ferens iudicium ipse eadem perficis,

αὐτὰ πράσσοντας καὶ ποιῶν αὐτά, ὅτι σὺ ἐκφεύξῃ τὸ κρίμα θεοῦ? Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς, ἀγνοῶν, ὅτι τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ εἰς μετάνοιάν σε ἄγει? Κατὰ δὲ τὴν σκληρότητά σου καὶ ἀμετανόητον καρδίαν θησαυρίζεις σεαυτῷ ὀργὴν ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ; ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κα-

te quidem (sc. qui Iudaeus, sanctus genere beatusque, sis; nam σὺ dicitur emphatice:) effugiturum (haud expertutum) esse Dei iudicium? Ἢ — ἄγει? (Et) anne tu largissimam illius clementiam, patientiam lentitudinemque animi (quae nimirum praedicat euangelium. Synonymorum ob rei grauitatem facta coaceruatio!) aspernaris, minime reputans, quod clementer agat Deus, id eo fieri consilio, vt te perducat ad poenitentiam? Κατὰ — θεοῦ; At tu (profecto; non enim tam minari, quam stuporem Iudaei, in omni vitiositate sua nil metuentis, mirari videtur apostolus) pro ea, qua es (soles esse) contumacia menteque nil poenitente (nota paronomasiam μετάν. et ἀμετανοήτου καρδίας!) tibi ipse colligis (i. e. pergis colligere s. accumulare, cf. Prov. I, 18. Deut. XXXII, 34. 35.) poenas (maximas; nempe diuinas) die illo (inter Iudaeos notissimo) punitionis (cf. Ies. XXXVII, 3.) manifestandaeque iustae iudicationis Dei (expromendas). Pro lectione altera h. l. (ἀποκαλύψεως καὶ δικαιοκρισίας) hoc afferri posse videtur, quod P. haec tria (ὀργ. ἀποκαλ. et δικαιοκρ.) opponere voluerit illis tribus: χρηστότητι, ἀνοχῇ et μακροθυμίᾳ. Ὃς — αὐτοῦ.

τὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ: τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν ζητοῦσι ζωὴν αἰώνιον; τοῖς δὲ ἐξ ἐριθείας καὶ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ

Qui cuilibet (Iudaeo homini non minus, quam gentili) pro factorum ipsius ratione rependet (repensurus est; nam apostolus haec monens rem memorat iis, quibus haec scribebat, notissimam ex sua ipsorum religionis doctrina; quam tamen mox pro consilio suo grauissimo pluribus illustrat verbis et v. 9. 10. praesertim inculcat lectoribus.). Τοῖς — αἰώνιον. Illis quidem, qui per recte factorum constantiam (Sic dicitur „ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος" 1 Thess. I, 3. sine dubio respecta necessitate perseuerantiae a Christianis tum temporis, quod tempus erat illis tristissimum, inprimis praestandae.) ad gloriam honoremque cum immortalitate coniunctum tenderint, aeternam felicitatem (Prorsus aliter Lutherus haec verba inter se coniunxit, consentiens in eo cum interpretatione german. 1483. Norimbergae edita, vulgatam fere sequuta, quam hoc nomine carpit Erasmus, ex Sixtina tamen recognitione nobiscum facientem.). Τοῖς — θυμός! Iis vero, qui mente (aduersus Deum, praesertim in euangelio eius aspernando, quum Iudaei notentur potissimum) refractaria (cf. 1 Sam. XII, 44. Deut. XXI, 20.) veritati (legis diuinae, quae in euangelio est perfectissima) immorigeri morem improbitati (tanquam personae) gesserint, poenae atrocissimae (sc. „a Deo infligentur"; nam in P. verbis non satis inter se concinentibus supplendum est aliquid, e. c. ἔσαι. De ἐξ, ad circumscribendum adiectiuum, vt hebr. מ, ad-

ὀργὴ καὶ θυμός, Θλῖψις καὶ ϛενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακόν, Ἰουδαίου τε πρῶτον καὶ Ἕλληνος! Δόξα δὲ καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθόν, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι! Οὐ γάρ ἐϛι προσωποληψία παρὰ τῷ θεῷ.

hibito cf. III, 26. et ll. ibi allata. Caeterum fateor me mirari, quod lectio vulgaris θυμὸς καὶ ὀργὴ (quae sunt hebraica אף וחמה e. c. Deut. XXIX, 27. (28.) metonymice dicta, vt e. c. Bar. II, 20.), pro qua Griesbachius dedit ὀργὴ καὶ θυμὸς, ab hoc ne nominetur quidem in editione nunc nouissima.) Θλῖψις — Ἕλληνι! Summa (inquam; repetita enim sunt priora, vt eadem dicerentur grauius et vero etiam, quod ad Iudaeos attinebat, dilucidius) miseria (ingruet) in omnem hominem mala perficientem, Iudaeum primum, tum etiam Ethnicum; maxima autem felicitas (donabitur) cuicunque bona facienti, Iudaeo (item) primum, tum etiam Ethnico! Forsan haec habent aliquid, sit venia verbo, σαρκαϛικὸν, partim quod nunc a miseria incipitur, partim quod in hac primo loco denuncianda P. vtitur praerogatiuae iudaicae commemoratione, quasi dicat: Vos, Iudaei, primas vobis expetitis, si de gratia apud Deum sermo sit; age vero, aequum est, vt primas etiam teneatis in supplicio! Nisi putemus, illum hac in epistola, vt captaret suorum beneuolentiam, vbique honoris caussa priores fecisse Iudaeos Ethnicis, ita vt Ἰουδ. τε πρῶτον κ. Ἑλλ. tanquam formula quaedam sollemnis existeret, quae tamen huic nostro loco (v. 9.) minus bene conueniret. Θλῖψις καὶ ϛενοχωρία hebr. מצור ומצוק e. c. Deut. XXVIII, 53. 55. 57. Οὐ — θεῷ. Non enim Deus

Ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται; καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται (οὐ γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ θεῷ, ἀλλ' οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δι-

personam respicit. Dictum de Deo saepissime recurrens. „Πρόσωπον λαμβάνειν" dicitur pro hebr. נשׂא פנים e. c. Leu. XIX, 15. Res plana est et, quatenus huc pertinet, illustratur sequentibus. Ὅσοι — κριθήσονται. Nam quicunque absque lege (qualis erat iudaica, quam nos positiuam Dei vocamus) peccauerint, ii nimirum (sic volo expressum τὸ: καὶ post „ἀνόμως") absque lege (i. e. haud iudicati ex lege Dei reuelata) peribunt (a Deo punientur); quicunque autem cum lege (legem Mosaicam tenentes) peccauerint, ex (hac) lege iudicabuntur (quod pro contextu est i. q. damnabuntur). Adhuc non possum equidem, quin parenthesin longiorem statuam ab: „Οὐ γὰρ" etc. vsque ad „ἀπολογουμένων", nec P. inusitatam, coll. 1 Cor. VIII, 1—3. XV, 9. 10. 2 Thess. I, 10., et verbis sic demum minime coactis. Ita namque optime interpretanda puto, quae sequuntur: Οὐ — ἀπολογουμένων. Non enim auditores (cf. Iac. I, 22. 23. i. e. notitiam habentes, quam plerique Iudaeorum auditu, non lectu, percipiebant) legis probati Deo (sunt), sed praestatores legis probi (a Deo) ducentur. (Iam haec supple, a P. vel ex feruore dicendi, vel, ne Iudaeos offenderet, suppressa: „qui quidem nec ipsi solis ex Iudaeis sint, necesse est".) Quando enim gentiles, legem (reuelatam) non tenentes, natura duce (oppositum cogita: ope legis reuelatae.) ea, quae legis sunt (quae lex vult s. iussa legis, saltim praecipua, nempe moralia)

καιωθήσονται. Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος; οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων) ἐν ἡμέρᾳ,

praestiterint, (ποιῇ respicit ad ποιηταί!) hi quidem (quamquam) legem non tenentes (tamen) sibi ipsi (tanquam) lex (i. e. pro lege) sunt (ita, vt sane et ipsi, si honeste vixerint, inter legis praestatores recte numerentur), quippe qui exhibeant rem legis (materiam eius, nempe praecepta, saltim praecipua, quamuis non eadem, qua Iudaeis, via ipsis patefactam; de ἔργον cf. epist. Ier. v. 51.) inscriptam (quasi; hoc enim ad similitudinem dictum legis scriptae Mosaicae, cf. 2 Cor. III, 3.) animis ipsorum (nempe) testimonium ferente ipsorum conscientia (ipsis de rerum honestate et inhonestate) et (quae est eiusdem „συνειδήσεως" vlterior descriptio) inter se inuicem (nisi potius: „mox ipsos accusantibus, mox autem absoluentibus", vt μεταξὺ ἀλλήλων sit i. q. nostrum: „nach einander") cogitationibus (ipsorum vel) accusantibus, vel etiam (quod igitur non minus in gentilibus fieri potest, quam in Iudaeis) absoluentibus. Vt igitur P. his doceat, Ethnicos ostendere legem moralem sibi quoque insitam eo, quod partim iudicent de rebus licitis illicitisue, partim se ipsos de factis suis vel accusent vel etiam defendant; quod vtrumque est opus moralis conscientiae. Nunc autem finita parenthesi pergit: ἐν

ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ! — Εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, κατηχούμενος

— Χριστοῦ! (peribunt, inquam, hi et iudicabuntur illi) eo die (tempore), quo iudicabit (iudicaturus est) Deus de occultis (i. e. de animo, cf. 1 Cor. IV, 5. quamquam nostro loco (coll. v. 29.) κρυπτὰ continere videntur oppositionem rerum externarum („τῶν φανερῶν" s. „σαρκικῶν"), quibus adhuc Iudaei atque Ethnici inter se differebant maxime.) mortalium (adde: „et hoc quidem" i. e. quod ita euenturum dico) secundum euangelium meum (i. e. quod soleo tradere, cf. XVI, 25.) per Iesum Messiam (nam hoc fuit potissimum, quod P. „κατὰ τὸ εὐαγγέλιον" euenturum dicere vellet)! Iam vero auctor expressis demum verbis in Iudaeos inuehitur. Εἰ — ἐν τῷ νόμῳ. Longa vtique protasis, quam apodosis quidem, sed non satis ad regulas linguae accommodata, sequitur a verbis: „ὁ οὖν διδάσκων" etc. in quibus profecto ipsum hoc οὖν signum vel apodoseos, vel, si malis, orationis ad ordinem dicendorum, quem contextus desiderabat, reducendae esse videtur. Sic idem vocabulum εἰ in protasi ponitur sine omni apodosi IX, 22. Sensus nostri loci est: Quodsi autem tu Iudaei cognomine (honorifico illo et apud Deum gratioso habito ab iis, qui gerebant, scilicet a Rabbinis explicato per יודיהוה i. e. qui veneratur Iehouam) vteris et lege (legis Mosaicae sanctae ac diuinae possessione tanquam certissime per se te beatura) niteris et gloriaris de Deo (vnice vero, quum Ethnicorum Dii nulli sint, eoque tibi soli propitio)

ἐκ τοῦ νόμου; πέποιθάς τε σεαυτὸν ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων, ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ: ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; ὁ

et gnarus es (te esse iactitas) voluntatis (diuinae, κατ' ἐξοχὴν et cum pietate „θέλημα" dictae, i. e. eorum, quae Deus ab hominibus, vt sibi placeant, velit fieri, quae Iudaei sibi, neque vero aliis gentibus, manifestata opinabantur) et discrimen rerum diiudicas (i. e. accuratissimam plenissimamque honesti inhonestique cognitionem tibi tribuis; eadem phrasis de cognitione rerum moralivm Christianis necessaria occurrit Phil. I, 10. cf. Rom. XII, 2. Ebr. V, 14.), lege (sc. illud discrimen, vt κατηχ. additur accusatiuo obiecti Gal. VI, 6.) edoctus, atque (hinc) confidis temet esse viae monstratorem caecis (i. e. vel plebi iudaicae vel etiam gentilibus, vt fiant proselyti), lumen (i. e. qui lucem quasi disciplinae praeferat) iis, qui sunt in tenebris (eodem, quo illud, sensu et respectu dictum, sicut etiam duo sequentia nomina), magistrum insipientium, tironum praeceptorem (quae nomina omnia verisimile est vsurpata fuisse a Iudaeorum legis peritis, vtpote de scientia rerum diuinarum sua maxime et saepe stultissime superbientibus, quibus ea P., ipse olim illorum socius, exprobrat), tenens (videlicet) exemplar (quasi viuam imaginem delineationemque, quae 2 Tim. I, 13. dicitur „ὑποτύπωσις") scientiae subtilissimae verissimaeque (de Deo rebusque diuinis) lege exhibitum. Ὁ οὖν — ἀτιμάζεις. Ad apodosin plenius formandam supple: „Iam haec memento atque cogita"!

κηρύσσων μὴ κλέπτειν κλέπτεις, ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν μοιχεύεις, ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα ἱεροσυλεῖς; ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν θεὸν ἀτιμάζεις; „τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ θεοῦ δι᾽ ὑμᾶς βλασφημεῖ-

Nam apostolus sequentibus, quae serio cogitanda Iudaeis proponit, hos profecto acerbissime, non quidem per interrogatiunculas, opinor, sed per sarcasticam vitiorum recensionem, obiurgat et vituperat hocce modo: Tu igitur (qui tot tantisque te iactas nominibus) docens alios te ipse haud doces (non enim facis, quae facienda aliis commendas); praecipiens, ne furentur, furaris ipse (iam enim per partes exsequitur, quod verbis prioribus in vniversum dederat vitio), vetans adulterium ipse adulteras, abominans deastros (pro summa scilicet tua erga Iehouam pietate) facis (quo ipsum hunc Iehouam violas acerbissime) sacrilegium; (et omnino vt dicam, quid res sit) qui de lege gloriaris, per legis (multimodam) violationem Deum (tuum vnice verum) afficis opprobrio. Quod quidem grauissime in Iudaeos iactum P., vt iis confirmaret et non a se tantum sic iudicatum ostenderet, statim verba addidit scripturae illis sacrae, quae ad illos pertinere videri possent. „Τὸ — γέγραπται! Etenim nomen (quasi dicas: „fama“) Dei per vos ad conuicia Ethnicorum (quippe qui non sanctiorem Iehouam iudicauerint esse his ipsius cultoribus) exponitur, quemadmodum habetur (nempe Ies. LII, 5. secundum LXX) in sacris litteris! Caeterum haec omnia, quae apostolus paulo commotiori animo aduersus Iudaeos sese contra Ethnicos vulgo extollentes protulerat,

ται ἐν τοῖς ἔθνεσι“, καθὼς γέγραπται! — Περιτομὴ μὲν γὰρ ὠφελεῖ, ἐὰν νόμον πράσσῃς; ἐὰν δὲ παραβάτης νόμου ᾖς, ἡ περιτομή σου ἀκροβυστία γέγονεν. Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ, οὐχὶ ἡ ἀκρο-

non crediderim multum esse anquirendum, quo maxime referenda sint, quum ille non videatur facta quaedam singulorum singularia genti obiicere voluisse, sed illuſtrare potius per species quasdam (quamquam has sine dubio veras) afferendas ea, quae generatim (v. 21. et v. 23.) diceret. Argutior etiam, vt solet, Bengelius in furto, adulterio, sacrilegio peccata aduersus alios, se et Deum i. e. omnis generis, inuenire sibi visus est. Iam P., ne iniurius contra legem dixisse dici posset, pergit, veluti ex abrupto, sic: Περιτομὴ — πράσσῃς. Sane quidem iuvat (aliquid, quam tamen idem e. c. 1 Cor. VII, 19. omnino nihil ad Deo placendum valere docet, cf. Gal. V, 2.) circumcisio (qua nempe homo demum fit Iudaeus, vt igitur illa pro toto Iudaismo posita sit), si legi (potissimum de moribus, qualem P. spectat Mosaicam, quotiescunque de ea bene iudicat, cf. 1 Tim. I, 8. ss.) obsequaris. Sed ſtatim rursus addit, ne quid veritati euangelicae detrahat: ἐὰν — γέγονεν. Sin autem legis violator fueris (quales esse Iudaeos vulgo, iamiam significauerat), circumcisio tua praeputium facta est (i. e. tu, quamuis circumcisus, praeputium habenti nihil praestas). Eadem porro tractat ex opposito, sed prudenter per interrogationem, vt lectores faceret iudices rei, quam ipse defenderet. Ἐὰν — νόμου? Quodsi igitur praeputiatus (ἀκροβυστία metonymice dicta, vt Eph. II, 11. et saepius) praecepta legis (mo-

βυϛία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται; καὶ κρινεῖ ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυϛία, τὸν νόμον τελοῦσα, σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου? Οὐ γὰρ ὁ ἐν τῷ φανερῷ, Ἰουδαῖός ἐϛιν, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ φανερῷ, ἐν σαρκὶ,

ralia) obseruauerit, nonne praeputium (quasi dicas cum Tertulliano: „praeputiatio", die Unbeschnittenheit) illius (nota αὐτοῦ ad ἀκροβυϛίαν ante positam i. e. hominem praeputiatum, referendum!) pro circumcisione censeatur; atque (nonne) condemnet (culpam tuam manifestiorem grauioremque reddat, cf. Matth. XII, 27. 41. 42. Sap. IV, 16.) homo natura (quidem, sed non, sicut tu, mente et moribus, cf. Act. VII. 11.) praeputiatus legem praestans te, qui cum (de διὰ cf. IV, 11.) sacro codice (tuo) et (tua) circumcisione (i. e. qui instructus libris sacris et circumcisione praeditus, qualis Iudaeus Ethnico natura praeputiato opponitur) violator (tamen) legis sis? Aiendum putat nimirum apostolus, quod interrogauerat; quare pergit: Οὐ — θεοῦ! Non enim qui extra (aliqua corporis parte Iudaeus est), ille (verus et nomine suo honorifico dignus) Iudaeus est, nec quae extra, in carne (s. corpore, est) illa (vera ac Deo probata) circumcisio (sc. „est"; nam repetendum est illud: ἐϛί); verum, qui intus (animo et moribus), ille Iudaeus (verus) est, et circumcisio animi (quae ex aduerso ponitur isti: ἐν σαρκὶ, sc. „vera est circumcisio"), spiritalis (illa), non litteralis (quasi dicas: „eine Geistesbeschneidung, nicht eine Buchstabenbeschneidung" i. e. effecta ope spiritus diuini, qui animum format ad vitae sanctitatem, non ex solo sacrarum lit-

περιτομή; ἀλλ᾿ ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι; οὗ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων, ἀλλ᾿ ἐκ Θεοῦ! — Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; ἢ τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς? Πολὺ κατὰ πάντα τρό-

terarum praecepto), cui quidem (οὗ refero ad Iudaeum sc. verum, πνευματικὸν, qui ipse „περιτομῆς" quoque nomine includitur) non apud homines (ad res externas et fortuitas respicientes, Iudaeos), sed (sane) apud (interna vnice spectantem) Deum honos (cf. XIII, 3.) stat! Haud probabilem dixerim Wetstenii coniecturam, vocabulo ἔπαινος alludi nomini Ἰουδαῖος ex Gen. XLIX, 8. quam allusionem P. lectores vix reperissent. — At enim profecto his sat libere contra Iudaeorum arrogantiam disputatis quaesiuerit ex iis aliquis a P. nostro: Τί — περιτομῆς? Quid igitur praestat (Ethnico, quod est i. q. cuique aliarum gentium homini) Iudaeus (tanquam Iudaeus, non tanquam homo morali aestimatione censendus), et quid (eum) iuuat circumcisio? (Quid igitur omnino inter Iudaeos Ethnicosque interest?) Atqui ergo apostolus, ab hoc inde loco saepius vtens forma orationis paene forensi et disputatoria, cedit aliquantum vrgenti Iudaeo (in quem vero haud multo post v. 9., hac interlocutione, velut parenthesi, absoluta, inuehitur), et forsan etiam Ethnico, ne ex ante dictis infletur superbia, haec pensitanda apponit: Πολὺ — τρόπον! Multum (ille praestat, haec iuuat; quae duo ad vnum idemque tandem redeunt.) omnino („in jeder Hinsicht", i. e. qualiscunque demum ipsis Iudaeus moribus sit)! Et iam videtur recensurus, quae promisisset, omnia, qui tamen vno tantum commemorando defungitur, sa-

που! Πρῶτον μὲν γὰρ, ὅτι ἐπιςεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ. Τί γάρ? εἰ ἠπίςησάν τινες, μὴ ἡ ἀπιςία αὐτῶν τὴν πίςιν τοῦ θεοῦ καταργήσει? Μὴ γένοιτο! Γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθὴς,

tis, opinor, declarans, se nunc non id agere omnino, vt Iudaeorum ostenderet excellentias; non est enim in eo, vt laudet gentem suam, sed vt vituperet. Nimis autem quaesito et a contextus ratione alieno conatu nonnulli statuunt, continuari hanc enumerationem demum IX, 4. 5. tam plurimis maximeque variis rebus interiectis. Πρῶτον — θεοῦ. Primum (nisi malis: „primarium") enimuero (hoc eſt), quod iis effata Dei (nempe sacris illis V. T. voluminibus contenta, inter haec autem potissimum promissiones a Deo Iudaeis datae, quibus summum apud hos statuebatur pretium) concredita sunt (quippe quae non habebant Ethnici). Quam quidem praeſtantiam Iudaeis illico, quasi Ethnico contradicente, vindicat. Τί — καταργήσει? Quid enim? Si (s. „quod") increduli (euangelio I. M. non recepto) fuerunt (ex iis) quidam (nota ac mirare, quam incredulorum Iudaeorum numerositatem quantopere, nimirum pro gente et vero etiam caussa sua disputans, hoc τινῶν vocabulo extenuet!), num eorum (Iudaeorum) incredulitas credibilitatem (fidem, veracitatem; illud suadebat paronomasiae repraesentandae consilium.) Dei destruat? i. e. efficiat, vt Deus promissis suis per effata illa populo Iudaico factis non stet amplius adeoque haec totius populi praeſtantia ceſſet? Cf. IX, 6. Respondet sibi apostolus: Μὴ γένοιτο! Absit hoc! Dictum hoc quidem in h. epiſtola, rhetorice et fere dramatice scripta, saepius, alias nec apud P., niſi in ep. ad

πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης; καθὼς γέγραπται: „Ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε." Εἰ δὲ ἀδικία ἡμῶν θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησι, τί ἐροῦμεν? Μὴ ἄδικος ὁ θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν? (κατὰ ἄν-

Gal., nostrae rebus verbisque valde simili et forsan circa idem, quo illa, tempus elaborata, occurrit. Est autem negatio fortissima, hebr. חלילה Gen. XLIV, 7. 17. i. e. proprie: „nefas sit", quod LXX etiam vertunt: μηδαμῶς e. c. Gen. XVIII, 25. Addit autem porro, vt, quod negauit, neget vehementius: Γινέσθω — ψεύστης. Sit (γινέσθω respondere videtur τῷ: γένοιτο, quod antecesserat) vero Deus (vnus) verax, omnis autem homo mendax i. e. Immo vero, licet omnes homines minus fuerint veraces (verba auctor ex Ps. CXVI, 11. sumsisse videtur), Deus tamen est maneteque veracissimus. Quod statim dicto sacro confirmat: καθὼς—σε." Quemadmodum est in sacris litteris (Ps. LI, 4. secund. LXX., quos P. fere sequitur): „Vt iustus reperiaris in effatis (λόγοι ad λόγια respiciunt) tuis et vincas (caussam), quando (ab hominibus quasi) voceris in iudicium. Iam apostolus, quouis Iudaeo subtilior, ex Iudaei persona illa, quae de fide Dei per infidelitatem Iudaeorum haud sublata dixerat, in ipsorum gratiam detorquet, dicens: Εἰ — λέγω. At enim si iniustitia (improbitas, „ἀπιστία" ante v. 3. dicta) nostra Dei iustitiam (quae ante πίστις, fides et constantia; vtrumque autem vocabul. fluxit ex: „δικαιωθῇς") spectatam reddit, quid inde? Nonne (hoc)? Iniustus Deus (est), qui poenas (nobis Iudaeis, cf. II, 5.) infligat; (quae quidem ego ex

θρωπον λέγω) Μὴ γένοιτο! Ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον? Εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ψεύσματι ἐπερίσσευσεν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ, τί ἔτι κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι; καὶ μὴ (καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν:) ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά? Ὧν τὸ

vulgi (iudaici) loquor sententia) (cf. 1 Cor. IX, 18.) Excusanda enim erat, saltim in parenthesi, haec sermonis impietas. Sed ipse statim respondet: Μὴ — κόσμον? Absit hoc! Quandoquidem quomodo (si ita esset) Deus sit iudicaturus omnes homines? Nimirum omnes peccando aeque ac Iudaei iniustitiam Dei quasi adversus se prouocatam reddunt spectabilem. Eandemque responsionem auctor sequentibus continuat et illustrat. Εἰ — ἔτι! Etenim (sic tum omnes possent dicere) si Dei veracitas (i. q. „δικαιοσύνη et πίστις“, ante memoratae) per meum mendacium (ex opposito i. q. „ἀδικία et ἀπιστία“, Treulosigkeit) redvndarit ad illius (quae poenis iustis expromendis olim splendebit) gloriam, quid (s. „cur“) adhuc ego quoque (quisquis sim, etiamsi non Iudaeus) tanquam peccator iudicor (i. e. condemnor); ac nonne (potius) — quo nimirum (est haec parenthesis) equidem (P.) petor conuicio (quod male agam, euangelium, rem iudaicam, gentilibus tradens iisque nimium in lege Mos. negligenda concedens, vt bene sit Deo et hominibus) et quemadmodum nonnulli (sine dubio Iudaei, iidem illi conuiciatores, qui praeterea de P. perhiberent, eum vti hac male facti sui defensione,

κρίμα ἔνδικόν ἐστι! — Τί οὖν? προεχόμεθα? Οὐ πάντως! Προῃτιασάμεθα γὰρ, Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι;

quam mox ipse, quamquam, pro contextu, sensu paulo alio, quam quo ipsi tribuerent sui aduersarii, afferet, cui certe non prorsus absimilia sunt, quae leguntur 1 Cor. IX, 19—23.) aiunt me dicere: — (ὅτι otiatur, nisi malis esse i. q. „nempe") faciamus mala, vt bona exoriantur? Quae quidem verba, quatenus defensionem apostolo ab aduersariis adscriptam repraesentant, hunc habent sensum: „Euangelium, surreptum Iudaeis, transferamus ad Ethnicos, vt gloria Messiae adeoque Dei per illius latiorem inter gentes propagationem augeatur"; quatenus autem peccatori cuicunque, v. 7. nominato, ab auctore tribuuntur, hunc generaliorem, quem, si parenthesis abesset, habitura essent vnicum: „peccata quaeuis committamus, vt iustitiae diuinae gloriosa eliciantur specimina". Ac ob hunc ipsum duplicem horum verborum respectum puto factum esse, vt P. singulari: κἀγὼ ὡς ἁμαρτωλὸς κρίνομαι, postea in eadem enunciatione pluralem: ποιήσωμεν, subiiceret. Quam minime autem probet talem a quocunque vsurpatam orationem, illico his additis auctor significat: quorum (sane hominum sic de peccatis suis sentientium ac loquentium; cf. 2 Cor. XI, 15.) condemnatio est (futura est) iustissima! — Nunc P. redit ad orationis suae a II, 29. inde, Iudaeorum caussa, interruptae contextum, nempe ad hos increpandos eo consilio, vt necessitatem euangelii ad ipsos etiam pertinere doceret. Τί — εἶναι. Quid igitur? (His resumit filum orationis.) Num (nos Iudaei Ethnicis) antecellimus? i. e. digniores

καθὼς γέγραπται: „Ὅτι οὐκ ἔστι δίκαιος, οὐδὲ εἷς; οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, οὐκ ἔστιν ὁ ἐκζητῶν τὸν Θεὸν, πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν, οὐκ ἔστι ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἔστιν ἕως ἑνός; τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν; ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν; ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει; ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα, σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν; οὐκ ἔστι φόβος

mente et moribus sumus his fauore beneficiisque Dei? Id quod P., vt supra II, 25—29. suo modo negauerat, ita, quamuis praestantia Iudaeorum quadam externa III, 2. haud abnegata, negat et h. l., respondens: Minime! (s. „omnino non“! cf. 1 Cor. V, 10.) Ante enim (I, 18—II, 24.) euici, Iudaeos non minus, quam Ethnicos, omnes peccato (quasi tyranno) esse obnoxios. Ac licet id esset, quod P. adhuc omnibus verbis suis demonstrare voluisset, tamen, vt Iudaeos, hac in caussa pertinacissimos, tandem conuinceret et prorsus ad confitendum, se quoque esse peccatores indeque nouo euangelii auxilio, tanquam mentis quodam medicamine, egere, compelleret, dictis eos aggreditur plurimis acerbissimisque nihil iam, quum sacra essent, effugii tergiversationisque iis relicturis. Καθὼς — ὀφθαλμῶν αὐτῶν! Quemadmodum (etiam, hic illic) habetur in sacris litteris: „non esse iustum (probum), ne vnum quidem (haec sic nusquam in V. T. leguntur); non esse (haec vsque ad: ἑνὸς ex Ps. XIV, 2. 3. desumta sunt sec. LXX.), qui sapiat, non

θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν!“ Οἴδαμεν δὲ, ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λέγει; ἵνα πᾶν στόμα φραγῇ καὶ ὑπόδικος

esse, qui Deum curet, omnes (a vero bonoque) deflexisse, (cunctos) simul inutiles (prauos) factos, non esse, qui honeste agat, non esse ne vnum quidem; sepulcrum apertum (haec vsque ad: ἐδολιοῦσαν ex Ps. V, 10. sec. LXX.) esse guttur eorum (i. e. adeo calumniis conuiciisque eos scatere aduersus quemlibet euomendis, vt instar sepulcrorum, vitam rapientium, honorem famamque aliorum exstinguant et quasi deuorent), linguis suis ipsos dolose fallere; venenum (verba: ἰὸς — αὐτῶν sunt ex Ps. CXL, 4. (3.) sec. LXX.) vipereum (i. e. acutissimum) habere subter labiis; quorum (ὧν — γέμει formata sunt ad Ps. X, 7. sec. LXX.) os exsecrationibus et acerbis abundet sermonibus; celeres (haec: ὀξεῖς — ἔγνωσαν sunt ex Ies. LIX, 7. 8. plurimam partem sec. LXX.) esse pedes eorum ad profundendum sanguinem (i. e. ad occidendos homines innocentes), perniciem aerumnamque, quocunque incesserint, spargere, concordiae esse osores; timorem Dei (haec tandem repetita sunt ex Ps. XXXVI, 2. (1.) sec. LXX.) ex eorum esse deletum animis!“ Tum apostolus, ne minimum restaret dubium, in Iudaeos haec a se prolata esse, sic pergit: Οἴδαμεν — θεῷ. Certum est autem (et res notissima), quicquid legis volumina (codex ille sacer V. T.) prodant, pertinere ad eos, qui lege (Mosaica, cuius ille codex est) vtuntur; vt nempe omne os obturetur (i. e. quicunque sese Deo

γένηται πᾶς ὁ κόσμος τῷ θεῷ. Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ; διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας.

expurgare cupiens, immo de gratia apud eum sua multum glorians, qualis Iudaeus erat maxime, confundatur) atque omnes mortales (neutiquam Iudaeis exceptis) rei apud Deum agantur. Tum autem P. transit ad generaliora quaedam, ad suam vtique doctrinam pertinentia (cf. Gal. II, 16. et 19. ss. coll. Rom. V, 20. VII, 7. Tit. III, 5. Act. XIII, 39.), huic vero loco apprime conuenientia, haec: Διότι — ἁμαρτίας. Namque ex operibus legis (sc. Mosaicae, i. e. per cultum iudaicum s. Iudaismum) minime vllus homo illi (Deo, vnquam) probabitur (i. e. ea religionis forma, quae lege Mos., et omnino in Iudaismo, proponitur, non est vera atque vere salutaris omnibus, cf. Gal. III, 19—24.); id quod P. negandum ac pernegandum fuit, si vellet euincere, non Iudaeos solum, sed etiam Ethnicos, quippe gentes legis Mos. ignaras, posse Deo placere, atque illos non minus, quam hos, egere euangelio. Attamen et isti legi, vtpote diuina natae auctoritate, suum fuisse finem certum bonumque, apostolus negare nec potuit nec vero voluit, sed eum non sufficientem ad ipsam aeternam salutem homini, vel Iudaeo, vel cuidam alii, per se conciliandam. Hinc statim addit: per legem enim (nihil, ex ipsius Dei voluntate et consilio, nisi) peccati agnitio (sc. „oritur", i. e. non est data haec lex, vt probos saluosque redderet, qui obseruassent, sed eo tantum spectabat, vt habentibus eam innotesceret, sibi quoque culpam peccatis contractam haud de-

Νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη Θεοῦ πεφανέρωται, μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν, δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας πιστεύοντας!

esse (cf. VII, 7. ss.), cuius sensu et conscientia illi ad studiosius amplectendam nouam, quae ipsis offerretur, rationem Deo placendi adducerentur). His igitur et omnino et grauissime dictis auctor eam orationis partem, qua Iudaeis necessitatem euangelii demonstraturus erat, concludit aptissime, quod ea totam, quam tractabat caussam, continerent et conficerent.

Iam vero P., hac re perorata, redit illuc, vnde coeperat I, 16. 17., nempe ad euangelii salutarem eamque Iudaeis aeque ac Ethnicis necessariam vim rationemque praedicandam, cuius quidem docendae atque commendandae caussa hucusque iam contra vtrosque suo more disputauerat. Ita igitur vere ac praeclare pergit dicere: Ν υ ν ὶ — π ι σ τ ε ύ ο ν τ α ς! N u n c a u t e m (exorta per I. M. luce euangelii, qui Christianismus est) a b s q u e l e g e (i. e. nullo legis respectu a Deo habito adipiscenda) p r o b i t a s D e i (eodem illa sensu, quo I, 17. dicebatur) p a t e f a c t a (per I. M., eiusque apostolos) e s t, (quamquam ea quidem) c o n t e s t a t a a b l e g e (Nota diuersam eiusdem verbi, *νόμου*, statim repetiti significationem! Cf. ad v. 26.) e t p r o p h e t i s (i. e. ab vniuersis V. T. scriptoribus; cf. notata ad I, 2.), p r o b i t a s n e m p e D e i, q u a e p e r f i d e m i n I e s u M e s s i a c o l l o c a n d a m (cf. Gal. II, 16. III, 22.) v e n i t o m n i b u s (Iudaeis) e t a d o m n e s (etiam non Iudaeos, sed gentiles) f i d e m h a b e n t i b u s! Tautologiam in verbis: *εἰς πάντας*, et: *ἐπὶ πάντας*, non sus-

στεύοντας! Οὐ γάρ ἐστι διαστολή; πάντες γὰρ ἥμαρτον, καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ,

tineo admittere, nec satis dignam apostolo, et vero ab hoc praesertim loco, vt ita dicam, sollemniori valde alienam; vt ne commemorem, quod P. hucusque semper Ethnicos a Iudaeis distinxerit rursusque disertis verbis distinguat v. 30. cf. XV, 8. 9. Immo id ipsum vtriusque partis Christianorum discrimen, huic quidem loco (III, 21. 22.), simillimo priori, qui habetur I, 17., satis probabiliter vindicatum, haud parum commendare videtur explicationem vocabulorum loci modo laudati (I, 17.): „ἐκ πίστεως εἰς πίστιν", quam olim ego putaui optimam, nempe hanc: „ἐκ πίστεως" denotare rationem, qua Iudaeo — Christiani „δικαιοσύνην Θεοῦ" accipiant, „εἰς πίστιν" autem designare viam, qua eadem pertineat ad Ethnico — Christianos; qua explicatione suscepta verba illa forent membra orationis asyndeta, commate interposito distinguenda. Sed eam nunc illa, quam ipse loco bis iam memorato (I, 17.) dedi, puto minus probabilem, minus facilem, quamquam sane multo probabiliorem e. c. ea, qua volunt „εἰς πίστιν" esse i. q. „εἰς πιστεύοντας", quod sine exemplo faciunt, et nimis coacte, quippe eidem vocabulo in eodem contextu significatione praeter necessitatem attributa diuersissima. — Nunc P. nostro loco caussam addit necessitatis euangelii ad vtrumque genus Christianorum referendae, ante dictis iam vberius praemonstratam. Οὐ — Θεοῦ. Non enim discrimen est (sc. gentium, iudaicae et reliquarum, hac in re. Cf. X, 12. Suadent autem haec quoque, P. in verbis: „εἰς" et: „ἐπὶ" de hoc maxime discrimine populorum iam cogitasse); omnes enim (Iudaei non minus, quam Ethnici)

δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων

peccarunt (s. peccatores sunt, sicut auctor ante pluribus monstrauerat) et (itaque) carent gloria Dei (i. e. spe gloriae s. felicitatis gloriosae a Deo olim concedendae, cf. V, 2. Bar. IV, 37. coll. V, 1. et quodammodo etiam Ioh. XII, 43.); moxque rursus, et quidem oratione longiori ornatiorique, quam adhuc vsus fuerat, „δικαιοσύνην Θεοῦ" fide consequendam sic describit: δικαιούμενοι — πίστεως Ἰησοῦ! ita vt probati (Deo) fiant gratis (δωρεὰν i. q. „χωρὶς ἔργων νόμου" (v. 28.), quae quasi quoddam emendae diuinae gratiae pretium (cf. Ies. LII, 3.) sunt, vnde etiam: „ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι" eademque „ἡ δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης" V, 15. 17. dicitur) per illius (Dei) gratiam (quae verba ipsa illud „δωρεὰν" explicant; nam et „χάρις" opposita est „ἔργοις", nempe praestationi legis Mosaicae positiuae, cf. XI, 6.), ope expiationis (hac enim apprime opus erat, pro communi Iudaeorum Ethnicorumque, qui tum erant, persuasione, vt credere posses, Deum peccatori iam esse propitium, a qua quidem credenda sane, vt videtur, nec ipse P. omnino abfuit), quae habetur in Messia, Iesu, (hactenus eam puram euangelii Paulini doctrinam esse puto, quae his continebatur: Iesu Messiae auctoritati prorsus diuinae confidendum esse in eo, quod sublata iam omni legis Mos. praestandae necessitate homo quicunque, quamuis peccator, Deum habeat sibi propitium non minus, ac olim fieri crederetur ex piatione qualibet ex prae-

ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως.

scripto illius legis adhibita; quam porro Messiae, Iesu, auctoritatem apostolus in eius morte cruenta potissimum (non sola, cf. IV, 25.) posuit, partim, quod haec expiationi legali esset simillima, partim vt crucis in Messia scandalum verteretur in rem mortalibus vtilissimam omnibus, Iesu autem, viro diuino, honorificentissimam.) quem (haec: ὃν — αἵματι, nil nisi exornant, si quid iudico, verum illud: in Iesu Messia, nece affecto, auctoritatem esse vere diuinam ad credendum id, quod supra posuimus, quae quidem euangelii veritas ab apostolis et P. praesertim variis subinde formulis, haud ad viuum resecandis, exprimitur) destinauit (i. e. esse voluit; προέθετο sc. ἐν ἑαυτῷ, vt Eph. I, 9.) Deus (quasi) sedem expiatoriam (nempe arcae Iudaeorum sacrae operculum P. innuit, in quo veluti sedebat Dei, Iehouae, clementia, sanguine victimae et precibus a summo sacerdote fundendis exoranda, idque ex vsu loquendi LXX (Leu. XVI, 13. 14. 15.), quos citius sequutum cum auctore ep. ad Ebr. IX, 5. coll. IV, 16. P. putauerim, quam Iosephum, ἱλαστήριον sc. θῦμα, dicentem) per fidem (i. e. si quidem fides in illo collocetur, neque igitur, vt apud veteres fiebat, per sacrificium) sanguine eius (profuso i. e. morte eius facta sanguinolenta. Ita igitur cum Deus destinauit exhibuitque quasi sedem expiatoriam, si sanguis eius morte profusus fide accedente sumatur pro sanguine simili illius, qui in arcam V. T. sacram spargebatur ad veniam omnium totius populi ipsiusque summi sacerdotis peccatorum a Deo impetrandam; quae, quantumuis

Ἰησοῦ! — Ποῦ οὖν ἡ καύχησις? Ἐξεκλείσθη!

durius dicta, a P. tamen consuetudine haud aliena repereris coll. e. c. 1 Cor. V, 7. X, 4. Gal. IV, 24 — 26.), ad monstrandam probitatem suam (i. e. constantiam et veracitatem, vt habuimus III, 5.; nisi quis h. l. admittendam dicat significationem „benignitatis", quae tamen in P. epistolis exemplo satis certo (etiam 2 Cor. IX, 10. esse potest „virtus") destituitur) praetermittendis (ad verbum: „propter praetermissionem" etc. i. e. „quod (sc. „monstratam esse Dei probitatem et constantiam") dico propter praetermissionem"; cf. de διὰ VIII, 10.) peccatis, olim factis, (praetermittendis igitur) per Dei (repetitur nomen loco pronominis minus ex more loquendi hebr., quam, ne dubium esset, quo „αὐτοῦ", si poneretur, referendum putares, ad Deumne an ad I. M.) tolerantiam (de re ipsa cf. Ebr. IX, 15. Act. XIV, 16. XVII, 30.), ad monstrandam (porro) probitatem suam (idque sensu eo, quo illa dicebatur I, 17. III, 21. Nam sic solet P. eodem vocabulo non eadem significatione vti verbis proximis. Cf. 2 Cor. V, 21. X, 2. 3. 1 Thess. V, 6. 7. 10.) praesenti tempore (quae „δικαιος." valeret hoc nimirum tempore, quod opponitur superiori, quo facta peccata sunt a Deo toleranter praetermissa), vt (igitur) ipse probus (quod respicit ad priorem „δικαιοσ. θεοῦ" subiectiuam) esset et (s. „idemque") probatum (sibi) reddens (quod ad posteriorem obiectiuam pertinet) eum, qui fidem in Iesu collocaverit (ἐκ circumscribit adiectiuum, vt e. c. ὁ ἐκ πίστεως sit i. q. „πιστός", cf. II, 8. IV, 14. 16. Gal. III, 7. 9. 10.) — Iam auctor quasi de Iudaeis per adhuc proposita victis triumphans (cf. 1 Cor. XV, 55.), quaerit: Ποῦ — καύχησις?

Διὰ ποίου νόμου? τῶν ἔργων? Οὐχί; ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως! Λογιζόμεθα γὰρ, δικαιοῦσθαι

Vbi igitur (quum nimirum Iesus, non Moses, et fides, non opera, omnia conficiant) est gloriatio? (vestra, o Iudaei! Vid. II, 17. 23. cf. Eph. II, 9.) Respondet autem: Ἐξεκλείσθη! Exclusa (sublata, destructa) est! Et quaestionem illam nunc facit acutiorem his additis: Διὰ — πίστεως! Qua tandem lege? (quasi vero ipse P., Iudaeus scilicet, miretur, tam subito prorsus euanuisse cunctam suorum gloriandi materiam.) Num (forsan) operum? (i. e. lege opera postulante, nempe cultum disertis verbis praescriptum (cf. X, 5.), quae ipsorum Iudaeorum fuit, quorum sub persona P. haec ita stupens quaerere videri vult; qui statim, non sine quadam illorum irrisione se ipse corrigens reponit:) Nequaquam! (Quis enim credat, Iudaeos sua ipsorum lege priuari omni gloria?!) Immo vero lege fidei! (i. e. doctrina euangelii; sed in hac ipsa quoque vocabuli iudaici summe suo populo sancti imitatione et quasi parodia paene irrisionis aliquid h. l. inesse contenderim. Eiusdem nominis hunc duplicem sensum exhibet Gal. II, 19.) Tum vero sedatiori magisque serio orationis genere pergit: Λογιζόμεθα — νόμου. Nimirum egó (argumentis quidem verissimis ductus) statuo, probatum (Deo; quo l. rursus miror, δικαιοῦσθαι praepositum πίστει esse a Griesbachio contra vulgarem ordinem, hoc ne adnotato quidem.) fide (haud equidem addiderim: „sola" cum Luthero, ne „ἀγάπη" Gal. V, 6. s. „ἔργα ἀγαθὰ" Eph. II, 8 — 10. videantur excludi, quibus exclusis demum P. profecto dissentiret a Iacobo, verissima praeclarissime docente II, 24.) fie-

πίστει ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Ἢ Ἰουδαίων ὁ θεὸς μόνον? οὐχὶ καὶ ἐθνῶν? Ναὶ καὶ ἐθνῶν! Ἐπείπερ εἷς ὁ θεὸς, ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως, καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως! —

Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως?

ri hominem absque legis operibus. Idem rursus Iudaeos occupat: Ἢ — ἐθνῶν? An vero (forsan) Iudaeorum (fautor) Deus est solummodo? Nonne etiam gentilium? eosque reprimit: Ναὶ — ἐθνῶν! Nimirum (est ille Deus fautor ac patronus) etiam gentilium! tandem ita haec concludens: ἐπείπερ — πίστεως. Siquidem vnus (idemque) Deus est, probatos (sibi) habiturus (loquitur P. de futuro, tanquam re nondum perducta ad liquidum, quae ipsi tamen esset certissima, nempe sic se Iudaeis accommodans, cf. IV, 24. V, 19.; nisi quis maluerit merum hebraismum in hac temporum permutatione agnoscere.) circumcisos (cf. Phil. III, 3.) ex fide et per fidem (quae duo etiamsi reapse non differunt (cf. Gal. III, 8. vbi „ἐκ πίστεως" de Ethnicis dicit), tamen non sine elegantia dicuntur dupliciter, vt nempe fidei nomen sanctum augustissimumque iteretur) praeputiatos! —

Hinc statim transiturus erat P. ad commoda „δικαιοσύνης ἐκ πίστεως" enumeranda (ad quae demum transibit V, 1. ss.), nisi nimium viderentur grauia fuisse, quae hucusque contra Iudaeos disputauerat. His igitur aliquid dandum erat interea; his ex argumentis validioribus, nempe suis i. e. biblicis, de Dei fauore Ethnicorum Iudaeorumque communi erat persuadendum. Initium periodi auctor sumit a quaestiuncula: Νόμον — πί-

Μὴ γένοιτο! Ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ, τὸν πατέρα ἡμῶν, εὑρηκέναι κατὰ σάρκα? Adeone igitur (id quod ex omnibus a III, 21—30., potissimum v. 27. et 28. dictis Iudaeus aliquis concludere poterat) legem (Mosaicam i. q. Iudaismum) fide (vnice commendanda) destruo (i. e. non relinquendam tantum hoc tempore (debebat enim relinqui, vt patet ex VII, 4. 6. X, 4. et ll. aliis) sed omnino damnandam aspernandamque perhibeo secundum meum de fide euangelium?) Respondet: Μὴ — ἱστῶμεν! Absit hoc! Immo vero legem reddo (i. e. reddere soleo; nisi praeoptes: „(iamiam) reddamus," verbo ἱστῶμεν ad formam „ἵστημι" relato, quod tamen h. l. fieret auctore, quod ego sciam, nullo.) confirmatam (cf. X, 3.). Statimque confirmatam eam reddit, ex ipsius monumentis, nempe ex sacris Iudaeorum litteris, nominatim ex Pentateucho (cf. omnino Gal. IV, 21. ss.) et Psalmis (quamquam hoc quidem nonnisi obiter) eorum, quae dixerat, veritatem, (quod fieri posse iam III, 21. significauerat) adstruens sicque auctoritatem legis collaudans. Itaque apostolus, multa vtens arte, argumento eodem Iudaeos et demulcet et refutat, ita orationem instruens: Τί — σάρκα? Ergo quid dicemus Abrahamum (ad quem tanquam exemplar quoddam gentis suae sacrosanctae scriptores iudaici saepius recurrunt et respiciunt), patrem nostrum (auctorem illum populi nostri splendidissimum ac vere augustum) inuenisse (i. e. quid illum praemii (a Deo) accepisse, cf. Prov. XXI, 21. Sir. XVI, 14. Ebr. IX, 12.) rebus corporalibus (i. q. externis, nominatim circumcisione, cf. Phil. III, 3. 4. 2 Cor. XI, 18. Sir. XLIV, 20.)? Nimirum h. l. addenda fuerunt, quae

τὰ σάρκα? — Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς τὸν Θεόν. Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει? „Ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην." Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα; τῷ δὲ μὴ ἐρ-

feruor P. reticuit, fere haec: „δικαιοσύνην ἐξ ἔργων, ἢ δικαιοσύνην ἐκ πίστεως? Λέγω δὲ, δικαιοσύνην ἐκ πίστεως!" Quare pergit: Εἰ — Θεόν! Quodsi enim (simile est γάρ, asseuerandi particula, v. 9.) Abrahamus ex operibus (i.q. „κατὰ σάρκα") probatus (Deo) factus est, habet (profecto), quo glorietur (nam solebant Iudaei gloriari rebus externis sibique propriis, et poterant quodammodo, cf. 2 Cor. XI, 18 ss. Phil. III, 4. ss.); verum non (Semleri quidem verborum satis nota distributio nil nisi ingeniosa est) apud (πρός, vt V, 1.) Deum (hac in re iudicem vnice audiendum)! Cur hoc autem? P. respondet: „Τί — δικαιοσύνην." Quid enim scriptura (sacra perque eam ipse Deus) ait (Gen. XV, 6. loco a P. quidem eodem consilio et hic et Gal. III, 6., alio autem a Iacobo vsurpato II, 23., qui tamen P. haud repugnat, „πίστιν" non „ἔργοις νόμου," sed „ἔργοις ἀγαθοῖς" i. e. vitae vere piae coniunctam volens in eoque cum P. sec. Eph. II, 8 — 10. praeclare consentiens)? (Nimirum hoc:) „Fidem nempe (nam hoc est δέ, quasi sit „δή" non ex V. T. sumtum) Abrahamus habuit Deo et (id quidem) imputatum est illi in probitatem i. e. propter fidem Deo praestitam (quam? vid. v. 18. ss.) Abrahamus hunc nactus est propitium, sicque Deus ipse satis monstrauit, de fide, non de operibus, ei esse apud se gloriandum. Id quod P.

γαζομένῳ, πιϛεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, λογίζεται ἡ πίϛις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην; καθάπερ καὶ Δαυὶδ λέγει τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων: „Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι; μακάριος ἀνὴρ, ᾧ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁ-

amplius iam illustrat. Τῷ — δικαιοσύνην. Nam operanti quodam (ἐργαζομένῳ ad „ἔργα sc. νόμου," respicit) merces imputatur (solet imputari) non ex gratia (beneficio), sed ex debito; verum non operanti, fidem autem habenti (confidenti, qualis nempe Abrahamus perhibetur fuisse illo testimonio) ei, qui probatum reddit (etiam) impium (descriptio generalis „θεοῦ, δικαιοῦντος." Iudaeos Ethnicosque i. e. homines quoscunque, „ἁμαρτήσαντας." De ἀσεβὴς contrario „τοῦ δικαίου" cf. e. c. Gen. XVIII, 25.) fides sua (adde: „οὐ κατὰ ὀφείλημα, ἀλλὰ κατὰ χάριν," ex opposito!) imputatur in probitatem.

Quibus efficere voluit, „τῇ πίϛει" in homine respondere „χάριν," in Deo, cf. v. 16. Ac statim confirmat suam illius loci sacri interpretationem alio ex Ps. XXXII, 1. 2. adducto: „καθάπερ — ἁμαρτίαν." Quemadmodum etiam Dauides (cuius nomen illi Psalmo adscriptum est) beatum praedicat hominem, cui Deus imputat (Nota, idem λογίζεται subinde passiue et active dici!) probitatem (quae sit) absque operibus (his verbis:): „Beati (sunt ii), quorum remissa sunt delicta quorumque peccata oblitterata (quasi obliuione exstincta, i. e. condonata) sunt; beatus ille, cui Dominus (Deus) peccatum

μαρτίαν.“ — Ὁ μακαρισμὸς οὖν οὗτος ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν? Λέγομεν γὰρ, ὅτι ἐλογίσθη τῷ Ἀβραὰμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην. Πῶς οὖν ἐλογίσθη? ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστίᾳ? Οὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ᾽ ἐν ἀκροβυστίᾳ; καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι᾽ ἀκροβυστίας (εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην), καὶ πατέρα περιτομῆς, τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχοῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν ἀ-

non imputauerit.“ Nunc redit ad Abrahamum, exemplo eius docturus, Deo probatos fieri praeputiatos pariter ac circumcisos sec. III, 30, quamquam id quidem verbis ex loco modo allato depromtis. Ὁ — ἀκροβυστίαν? Haec igitur (a Dauide sumta) beati praedicatio adhibiturne (s. dicamusne, eam adhiberi) circumcisis (tantum), an vero etiam praeputiatis? pergens: Λέγομεν — δικαιοσύνην. Atqui ego (iamiam) dicebam, imputatam esse Abrahamo (ex cuius nempe historia facile ad illam quaestionem responderi poterat) fidem in probitatem. Iam quaerit: Πῶς — ἀκροβυστίαν? Quomodo (i. q. quali Abrahamo) igitur (illa) imputata est? Circumcisione, an vero (adhuc) praeputiato? Et respondet: Οὐκ — ἀκροβυστίᾳ. Non circumciso (quod patet ex loco Geneseos, quatenus c. XV. de illa imputatione, de circumcisionis autem mandato c. XVII. demum dicitur), sed

κροβυςίᾳ πίςεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ. Οὐ γὰρ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ, ἢ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, τό: κληρονόμον αὐτὸν εἶναι κόσμου; ἀλλὰ διὰ δικαιοσύνης πίςεως! —

praeputiato. Sicque porro rem vberius exponit: καὶ — Ἀβραάμ. Atque signum accepit circumcisionis (σημεῖον περιτομῆς περίφρασις iudaica, a Wetstenio multis Rabbinorum exemplis ostensa et ex eo sumta, quod circumcisionis nota Iudaei, quippe sanctus Dei populus, ab omnibus reliquis gentibus profanis distinguebantur; nisi illud nomen malis referre ad Gen. XVII, 11.) pignus (ad verbum: „sigillum") probitatis fidei (i. e. probitatem, quam nactus est praemium fidei) a praeputiato (se) praestitae; vt (nimirum) ille esset (nempe haec vis est circumcisionis post fidem demum additae, non praeceptae prius) pater (i. e. dux et auctor, cf. Gal. III, 7. 29.) omnium fidem cum praeputio (q. d. in statu praeputii, cf. II, 27.) habentium, — vt (est parenthesis ab εἰς vsque ad δικαιοσύνην) his quoque imputaretur probitas (i. q. hi quoque Deo probati fieri possent) — pater idem circumcisorum, ita si (τοῖς est datiuus, quem dicunt, commodi, h. l. perspicuitatis caussa necessario ponendus. Caeterum περιτομὴ hic ineleganter duplici subinde sensu appellata occurrit.) non circumcisi solum essent, sed vestigia quoque sequerentur (i. e. sensum rationemque exprimerent) fidei, cum praeputio (q. d. praeputii tempore) exhibitae a patre nostro Abrahamo. Nunc deleta circumcisionis praerogatiua transit ad legis Mos., cum illa coniunctissimae, remouendam gloriam. Οὐ — πίςεως Ἀβραάμ.

Εἰ γὰρ οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι, κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία: Ὁ γὰρ νό-

Neque enim per legem (cuius cogitatio commemorationi „τῆς περιτομῆς," Iudaeis propriae, erat proxima) promissio Abrahamo prolive eius (Non videtur hic argutari P., sicut Gal. III, 16., vbi de „ἐπαγγελίᾳ" Abrahami et „νόμῳ" similia nostris leguntur, sed σπέρμα h. l. sunt, quorum Abrahamus πατὴρ dictus fuerat, omnes.) facta est haec: possessorem (quasi iure haereditario, cf. VIII, 17. Gal. IV, 1.) eum fore rerum (ad verbum: „mundi." Sumta haec sunt ex Gen. XV, 7. ideoque loco coniuncta cum fidei Abrahamicae commemoratione, sed illa ad Iudaeorum (vid. Kopp. ad h. l.) hac in re solitam magniloquentiam expressa; cf. Dan. VII, 27.) sed per probitatem fidei (i. e. eadem fides Abrahami, quae illi hanc a Deo probitatis laudem conciliauit, fuit quoque caussa, cur Deus illam ei daret promissionem, vt igitur διὰ bis positum tamen non plane eandem significationem retineat.). — Nam si (est haec quasi parenthesis vsque ad: παράβασις, vbi auctor filum orationis ipse resumit verbis: διὰ τοῦτο.), qui legevtantur (praeterque hos nulli), possessores (sensu supra obuio i. e. beati beandique per Deum) sint, fides (illa Abrahami, quae tamen „ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην" adeoque valebat plurimum) inanis (nihil valida) redderetur (quod statuere non posses, nisi scripturae contradicens, fructum tribuenti fidei „τὴν δικαιοσύνην θεοῦ") et destrueretur promissio (illa Abrahamo data ante legem latam Mos., ideoque huius respectu minime habito). Lex enim (Haec proxime cohaerent cum illis: „Οὐ γὰρ διὰ νόμου — πίστεως.") iram (i. e. poenas sc. Dei, adeoque nequaquam „ἐπαγγελίαν,"

μος ὀργὴν κατεργάζεται; οὗ γὰρ οὐκ ἔϛι νόμος, οὐδὲ παράβασις. — Διὰ τοῦτο, ἐκ πίϛεως; ἵνα κατὰ χάριν; εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίϛεως Ἀβραάμ; ὅς ἐϛι πατὴρ πάντων ἡμῶν (καθὼς γέ-

quae amoris opus est et praemia spectat) procreat (quibus P. dicit: legis ea est natura, vt „ἐπαγγελίαν" continere et afferre minime possit.). Vbi enim (his modo dicta probantur!) lex non adest, nec (adest) transgressio (nam „ὁ νόμος" demum „παραβαίνεται," quo Dei iustitia ad puniendum veluti prouocatur). — Ergo (vt dixi v. 13.) ex fide (sc. „γίνεται", s. „ἐϛί;" breuiter et abscise dictum, supplendum autem ex antecedentibus, addito vocabulo vel: „κληρονόμοι," vel, quod magis probo: „ἐπαγγελία;" sensum quidem facile quisque acu tetigerit!); vt per gratiam (sc. „γένηται," cf. 2 Cor. VIII, 13. i. e. vt ex beneficio, non ex debito propter ἔργα νόμου praestita, vel „κληρονόμοι" fiant, vel potius „ἐπαγγελία" detur); quo firma sit promissio (quae, si „ἐκ νόμου," Iudaeis fuisset solis) toti proli (i. e. omnibus omni sensu Abrahami quasi filiis, dupliciter, vt Abrahamus pater v. 11. et 12., dictis), non ei solum, qui lege vtatur (Iudaeis), sed et ei, qui fide Abrahami (i. e. fide Abrahamicae simili, cum praeputio exhibitae i. q. Ethnicis fidelibus). Vnde tandem concludit apostolus: ὅς — ἡμῶν, qui quidem (vel ipso nomine Ἀβραάμ pro pristino „Ἀβράμ," de quo sane videtur P. cogitasse, si locum iamiam appositum inspicias) pater est nostrûm omnium (Ethnicorum non minus, quam Iudaeorum); quod illico

γέγραπται: „ὅτι πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε“) κατέναντι οὗ ἐπίστευσε θεοῦ, τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς καὶ καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα; ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν

sacro dicto, in parenthesi posito, Gen. XVII, 5. quamquam non in eum sensum scripto, confirmat: „καθὼς — σε.“ Sicut habet scriptura: „Patrem multarum gentium (emphasis est non minus in: ἐθνῶν, quam in: πατέρα!) te (ego Iehoua, Deus) constitui (esse volui).“ Rursusque priora: „ὅς — ἡμῶν“ continuat: κατέναντι — ὄντα (pro: „κατέναντι θεοῦ, ᾧ ἐπίστευσε, θεοῦ δὲ τοῦ ζωοποιοῦντος“ etc.) coram (cf. Num. XXV, 4. Bar. IV, 2.) Deo (i. e. Deo iudice i. q. „ἐκ θεοῦ“ II, 29. nam ex hominum, Iudaeorum, iudicio Abrahamus non fuit pater omnium), cui confidit (quae fides Abrahami, a qua P. hac in periodo IV, 3. dicendi fecerat initium, hic deinceps accuratius pleniusque describitur), in vitam reducente mortuos ac ea, quae non sunt, perinde tanquam sint, tractante (i. e. destinante ad hanc illam fortunam eos quoque, qui nondum procreati sunt, quoniam ipse, quos voluerit, procreare potis est. Est haec quidem generalior laudatio diuinae omnipotentiae, qua tamen sequentibus Dei in Abrahamo effectis alluditur. De καλεῖν cf. IX, 11. vt fere hebr. קרא v. c. Ies. XXII, 12.). Iam vero P. dicit explanatius: ὃς — ποιῆσαι. Qui (Abrahamus) praeter spem cum spe (i. e. quum nihil videretur esse sperandum, tamen sperans. En paronomasiam, quod genus dicendi P. amare iam alias monuimus!), confidit, quo (factum est, vt) fieret pater multarum gentium (i. e. quo ipso, nempe Isaacum promissum confi-

(εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν κατὰ τὸ εἰρημένον: „Οὕτως ἔςαι τὸ σπέρμα σου!“) καὶ μὴ ἀσθενήσας τῇ πίςει οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη γενεκρωμένον, ἑκατονταέτης που ὑπάρχων, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας; εἰς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιςίᾳ, ἀλλ᾽ ἐνεδυναμώθη τῇ πίςει, δοὺς δόξαν τῷ θεῷ καὶ πληροφορηθεὶς, ὅτι, ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐςι καὶ ποιῆ-

denter exspectando, illam, ante v. 17. verbis V. T. memoratam, dignitatem sibi parauit), secundum illud sripturae (Gen. XV, 5.): „Tanta (quanta stellarum multitudo, quae est innumera!) erit tua proles!“ — quae quidem: „εἰς — σου!“ omnia commodissime in parenthesi leguntur — atque fide haud inualidus (qui sane esset per aetatem corpore) non respexit corpus suum iam emortuum (cf. Ebr. XI, 12.), centum circiter (habebat enim nonaginta nouem, cf. Gen. XVII, 17.) annos natus, emortuumque vterum Sarae (Ita fere Plin. XIV, 22. „mortem memoriae“ dixit, vt P. „νέκρωσιν τῆς μήτρας.“); de (cf. Act. XXV, 20.) promissione vero Dei (ipsum ex se legitimum haeredem habiturum) nihil dubitauit infidelitate (s. incredulitate), sed validum se praebuit fide (habenda Deo), honorem Deo (quem honorem hic certus rei paene impossibilis promissor poscebat) exhibens (cf. Ios. VII, 19.) et certo persuasus illum, quod promisisset, valere etiam efficere. Tandem auctor illuc, vnde egressus fuerat, reuertitur. Διὸ — δικαιοσύνην.

σαι. Διὸ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Οὐκ ἐγράφη δὲ δι' αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ; ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς, οἷς μέλλει λογίζεσθαι, τοῖς πιϛεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν, ἐκ νεκρῶν; ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν! —

Δικαιωθέντες οὖν ἐκ πίϛεως εἰρήνην ἔχο-

Quamobrem etiam (vt supra, v. 3., ex V. T. diximus) ei imputatum est (hoc) in probitatem. Tum vero haec de Abrahamo dicta ad Christianos pro consilio suo accommodat, quo simul se in viam, a qua III, 30. per totum hoc caput deuerterat, reducit. Οὐκ — δικαίωσιν ἡμῶν! Verum enim non scriptum est (in sacro codice) propter illum solum, ipsi esse (aliquid, quod satis iam nouimus) imputatum (in probitatem), sed propter nos quoque, quibus (idem, quod Abrahamo) imputandum esset (μέλλει pro: „ἔμελλε!"), confidentibus (Omnia, quae sequuntur, ad similitudinem dictorum de Abrahamo conformata ideoque non ex dogmaticorum subtilitate explicanda sunt.) illi, qui resuscitauit (vid. v. 17.) Iesum, dominum nostrum, ex mortuis; qui (vt) traditus est (suis interfectoribus a Deo, quippe quae res, P. inquit, est notissima) ob peccata nostra et (ita etiam) est resuscitatus ob nostram probitatem (vt nos probati redderemur Deo)! —

Nunc expedita, qua adhuc impediri visa fuerat, difficultate oratio P. tandem excurrit toto sequente capite in laudes „δικαιοσύνης," quam ab initio epistolae explicatum defen-

μεν πρὸς τὸν Θεὸν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ; δι᾽ οὗ καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει εἰς τὴν χάριν ταύτην, ἐν ᾗ ἑστήκαμεν; καὶ καυχώμεθα ἐπ᾽ ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Οὐ μόνον δε, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, εἰδότες, ὅτι ἡ θλίψις ὑπομονὴν

sumque iuerat, contextu quidem commodo per illud „δικαιώσεως" vocabulum praeparato. Δικαιωθέντες — Θεοῦ. Probatis igitur nobis (Deo) ex fide factis (i. q. „δικαιοσύνην τὴν ἐκ πίστεως ἔχοντες;" nam huius maxime „δικαιοσύνης" natura et fructus hic porro describuntur.) pax est cum Deo (i. e. amplius non habemus Deum nobis, tanquam ipsius inimicis („ἐχθροῖς," v. 10.), iratum ideoque metuendum, qualem illum olim Iudaeorum pariter ac gentilium fingebat superstitio) per dominum nostrum, Iesum Messiam, per quem (quasi primum ex amicis regis coelestis, cf. Eph. II, 18. III, 12. 1 Petr. III, 18.) etiam accessum habuimus (i. q. nacti sumus, „ἐλάβομεν," v. 11.) fide (ope fidei, quantum ad nos) ad hanc (Dei), in qua (nunc) manemus (cf. 1 Cor. XV, 1. 1 Petr. V, 12.), gratiam atque gloriamur de spe gloriae (vt III, 23. cf. 1 Petr. IV, 13. V, 1. 4.) a Deo exspectandae. Ac dein vberius exponit Christianorum felicitatem, quae nec malis vllis, quibus eorum ciuitas tum temporis saepe multumque afficiebatur, possit corrumpi. Οὐ — ἡμῖν. Quin etiam gloriamur (de illis nostris bonis adeoque laeti agimus) in calamitatibus, quum sciamus (et probe hoc teneamus), calamitate procreari patientiam (i. e. illa nobis imittenda Deum id spectare, vt excitet in nobis gloriosa patientiae specimina), patientia ve-

κατεργάζεται, ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα; ἡ δὲ ἐλπὶς οὐ καταισχύνει, ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου, τοῦ δοθέντος ἡμῖν. Ἔτι γὰρ Χριςὸς, ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι, κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. — Μόλις

ro spectatum animum („Erprobtheit" cf. 2 Cor. II, 9. Phil. II, 22.), animo autem spectato spem (nempe felicitatis per I. M. a Deo olim adipiscendae, quae modo „δόξης" nomine significata est; cf. 1 Thess. IV, 13. ss.); quae quidem spes non fallit (ad verbum: „pudefacit," hebr. הֵבִישׁ e. c. Ps. CXIX, 116.), quoniam amore (i. e. conscientia ac sensu amoris erga nos) Dei (de quo amore vid. v. 8.) abundant animi nostri (ad verbum: „amor Deus effusus est in animis nostris," cf. Ioel. II, 28.) per spiritum sanctum (diuinum quasi principium omnium bonorum, pietatis, scientiae, virium, felicitatis, quibus Christianorum et gaudet animus et vita splendet, re et nomine a Iesu, qui et ipse eodem praecipue mouebatur, etsi non primum exortum, tamen mirum quantum correctum atque amplificatum), nobis (a Deo, tum quum Christiani fiebamus, cf. e. c. Act. XIX, 1—7.) donatum. Qui amor Dei Christianis proprius iam pluribus comprobatur et extollitur. Ἔτι — ἡμῶν ἀπέθανε. Iam tum enim Messias, nobis adhuc (alterutrum: ἔτι, abundat manifesto, quamvis inde non concludi possit, haud esse a P. scriptum vtrumque) infirmitate (religionis indeque pietatis, cf. VII, 5. VIII, 3.) laborantibus, tempore suo (cf. Ies. LX, 22. nimirum tempore, quod Deus finiuerat pro sua vtique sapientia, ne quaestioni locus esset,

γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται; ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν: συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεὸς, ὅτι ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. — Πολλῷ οὖν μᾶλλον, δικαιω-

cur non alio, priori potissimum) pro impiis (nobis mortalibus) mortuus est. Quod statim, velut in parenthesi, re ex communi vita desumta illustratur. Etenim pro (homine) probo (quem „iustum" appellat Cic. d. off. III, 15.) vix quisquam moriatur, quamquam pro bono quidem (qui probo illi praestat hoc, quod non solum noceat nemini, sed nobis aliisque pro viribus prodesse studeat sicque nos beneficiis sibi, ad se impensius amandum, deuinciat) fortasse aliquis vel mori sustinuerit: spectabilem autem reddit amorem erga nos suum Deus (eo), quod, quum peccatores (igiturque ne probi quidem, nedum boni) adhuc essemus, Messias (Deo iubente) pro nobis mortuus est. — Iamque rursus auctor felicitatem Christianorum exinde ortam praedicat. Πολλῷ — ἐλάβομεν. Multo igitur magis (s. „citius" sc. quum illud modo memoratum statimque iterum memorandum Dei beneficium, morte I. M. peccatoribus praestitum, maius sit, quam, quod deinde allaturus est, nempe vt iam probati Deo olim ne puniamur; nam maiori beneficio exhibito facilius nunc exspectatur minus.) nos, iam probati (Deo) morte eius sanguinolenta facti (quod sane maximum fuit, quo opus esset ad beandos per Deum homines) incolumes (quod minus est illo, nimirum probitate iam effecta) praestabimur per eum (I. M.) a poenis (diuinis olim metuendis, cf. I, 18. II, 5.). Id

θέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι᾽ αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς. Εἰ γὰρ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, πολλῷ μᾶλλον καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ! Οὐ μόνον δὲ; ἀλλὰ καὶ καυχώμενοι ἐν τῷ θεῷ διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι᾽ οὗ νῦν τὴν καταλ-

quod aliis rursus verbis, ornatu quodam oppositionis rhetorico splendidioribus, repetit. Quodsi enim, quum inimici (peccatis, quibus quasi belligerant contra Deum mortales, cf. VIII, 7. Iac. IV, 4.) essemus, reconciliati Deo (i. q. in Dei gratiam restituti) sumus morte filii ipsius, multo magis nos (iam) reconciliati incolumes praestabimur per illius vitam! (i. q. per I. M. viuum; qui enim moriens nobis tam insigniter profuit, tanto plus scilicet profuerit viuens, quanto vita morte est res praestantior! Cf. Ebr. VII, 25. et propter oppositionem θανάτου et ζωῆς v. 17. nostri capitis.) Et addit tandem: Quin adeo (ad verbum: „Non solum autem hoc" sc. nobis per I. M. a Deo datum est, vt ab omni eius poenarum metu essemus liberi, „sed etiam" etc.) gloriamur (quod multo maius est metu ademto ad καυχώμενοι suppl. „ἐσμὲν" ex hebraismo, participium Benoni pro verbo finito saepissime adhibente.) de Deo (nobis nunc aeternum propitio; et gloriamur quidem) per dominum nostrum, Iesum Messiam (i. e. hoc auctore), per quem nunc (tempore a Deo statuto) reconciliationem (illam, cui omnis haec felicitas Christianorum, metu poenarum divinarum remoto et spe summorum praemiorum al-

λαγὴν ἐλάβομεν. — Διὰ τοῦτο ὥσπερ δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ᾽

lata contenta, fuit consequens) accepimus. — Eiusdem porro felicitatis Christianorum per I. M. partae praedicatio illustri quadam inter Iudaeos (cf. Kopp. ad h. l.) comparatione Adami cum Messia, quasi altero generis nostri conditore, vberius ornatiusque pro P. quidem more moduloque dicendi elaborata, exhibetur; et ea quidem ab hac imperfecta enunciatione incipiens: Διὰ — ἥμαρτον . . . . Ergo igitur (his verbis P. orationem continuat, vt adeo illa ad totam, quae V, 1—11. continetur, periodum referenda sint) quemadmodum per vnum hominem (Adamum, vt liquet ex v. 14., cui h. l. P. cum Rabbinis tribuit, quod idem 1 Tim. II, 14., pro suo eius loci consilio, idque cum Sir. XXV, 24., Euae) peccatum inuasit mundum, et per peccatum mors (quae opinio Iudaeorum haud dubie nitebatur Gen. II, 17. cf. Sap. II, 24.) sicque (nempe ex peccato Adami) ad omnes homines mors peruasit, quandoquidem (cf. 2 Cor. V, 4. Phil. IV, 10.) omnes (non ipsorum quidem malefactis, vt statim dicitur, sed auctore Adamo) peccatores (de: ἥμαρτον cf. III, 23.) erant . . . . Addenda fuerunt et voluit addere P. illico fere haec: „οὕτω καὶ" (nam vel hoc, vel simplex: „οὕτω," semper apud eum, non: „καὶ οὕτως," est in apodosi, nostrae vel re vel verbis simili, cf. 1 Cor. XV, 21. 22.) „δι᾽ ἑνὸς ἀνθρώπου, Ἰησοῦ Χριστοῦ, δικαιώματος ἡ ζωή;" quae quidem ad v. 15. necessario interserenda v. 18. (vbi per ipsum suum: „ἄρα οὖν" P. τὸ ἀνακόλουθον v.

ᾧ πάντες ἥμαρτον . . . . Ἄχρι γὰρ νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ; ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖ-

15. admissum videtur innuere) et v. 19. demum clarissime proponuntur. Habemus igitur h. l. indubitatum (quippe quo tollendo tolleretur tota, quam omnes interpretes agnoscunt et confitentur, comparatio) ἀνακόλουθον, qualia apud P. plura (e. c. Eph. II, 1—4. 1 Thess. III, 6. 2 Thess. II, 3. 1 Tim. I, 3. 4. cf. Rom. IX, 10. ss. et 22. ss.) occurrunt et apud alios scriptores, etiam caetera accuratissimos e. c. Ciceronem, Tusc. Q. I, 13. n. 30. coll. 16. ab initio, et ibid. III, 8. n. 16—18. Vnde vero hoc vitium orationis nostro loco exstitit? Inde, vt puto, quod P. scriptis verbis: „ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον," quibus excusaretur modo posita „τοῦ θανάτου" vniuersitas, continuo recordabatur, facile posse, vel se ipso iam IV, 15. id confesso, his opponi: lege nondum lata nec peccatores fuisse praeter Adamum, cui propria et quasi priuata quaedam lex a Deo data fuisset; quam igitur obiectionem ille statim ante omnia remoturus eo, vt exponeret, quo nimirum sensu, obiectis haud repugnante, dixisset illud „ἥμαρτον," orationis neglexit ordinem. Ergo haec nunc illico dicta legimus: Ἄχρι — μέλλοντος. V s q u e a d l e g e m e n i m (a mundi principio i. q. ante legem quoque latam) p e c c a t u m (quidem) i n m u n d o (quod plurimis illo tempore praue facientium exemplis in V. T. relatis constat) f u i t; p e c c a t u m a u t e m n o n i m p u t a t u r l e g e n o n d u m l a t a (quo sensu eodem dici potuerat, quod P. supra dixerat: „vbi lex non sit, ibi nec esse transgressionem," quamquam peccatum non absit omnino, cf. VII, 8. „χωρὶς — νεκρά." Quod autem P. dicit, „peccatum lege nondum lata non imputari," partim inde est, quod imputatio nonnisi lege violata qua-

ται μὴ ὄντος νόμου; ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ; — ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλ-

dam, ergo lata; fieri posse videatur, partim eo spectat, vt intelligatur, mortem eorum, qui ante legem experti fuerint, licet peccatis et ipsi non carerent, tamen non propter haec ipsorum peccata, quippe non imputata, sed propter solum Adami peccatum evenisse, quod ipsum ad comparationem huius I. pertinet (nam vt ab vno I. M. vita et felicitas, ita ab vno Adamo mors et miseria generis humani, deriuanda est) et statim a P. declaratur); veruntamen (quamuis horum peccato nullo ipsis imputato) regnauit (vim et imperium quasi dominus exercuit, ab Adamo nimirum excitata) mors ab Adamo inde vsque ad Mosen (i. q. ante posita: „ἄχρι νόμου") etiam in eos, qui non peccassent ad similitudinem transgressionis (illi enim peccarunt quidem, sed non, vt hic, transgressi sunt legem expresse sibi propositam) Adami (vnde pateat scilicet, huius caussa, non propter sua peccata illos esse mortuos); — qui quidem (quasi) imago est (quatenus vterque, Adamus et I. M., in rebus licet dissimillimis tamen originis auctoritatisque habebant similitudinem) futuri (sc. Adami, qui nempe est Messias, „posterior Adamus" a Iudaeis appellatus et a P. eodem, vt h. l. „ὁ μέλλων Ἀδὰμ," sensu: „ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ" 1 Cor. XV, 45. et ibid. v. 47. „ὁ δεύτερος ἄνθρωπος" i. e. Ἀδὰμ. His autem verbis: „ὅς — μέλλοντος," nexus orationis ab illis inde: „Ἄχρι γὰρ" etc. interruptus iam aliquantum reficitur.)! Nunc vero auctor, similitudine, quam tractabat, subostensa quidem,

λοντος! Ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. Εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον, πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολ-

sed non explicita, subito, fertur ad „μέλλοντα Ἀδὰμ" ex dissimilitudine vtriusque viri, qua nimirum illi maxime erant inter se similes, praedicandum. Ἀλλ' — Ἰησοῦ Χριστοῦ! Verum enimvero non sicut delictum (prioris Adami), ita etiam gratificatio („gratificamentum" S. „gratificamen" dicerem, si haec in vsu essent, nempe: beneficium, quod per posteriorem Adamum, I. M., nobis a Deo tribuitur,) sc. aestimanda est. i. e. Hi duo vero Adami inter se, quamquam prior posterioris imago dici possit quodammodo, maxime tamen rebus generi nostro per ipsos partis differunt. Quodsi enim vnius delicto multi (merum τοῦ ἑνὸς oppositum, quod denotat vniuersitatem magis minusue numerosam, cf. XII, 5. 1 Cor. X, 17. 33. Sunt autem h. l. οἱ πολλοὶ illi, qui v. 14. designabantur, quorum aetas Adamum et Mosen interiacet) mortui sunt, multo magis (s. „citius") gratia Dei donumque (quo eadem illa „gratia" explicatius pro re nata et, vt ita dicam, christianius describitur), quod est in gratia (Dei) per vnum hominem, Iesum Messiam (nobis) exhibita (Non enim audeo P. tribuere sententiam, qua statuatur, ipsum Messiam exhibere „χάριν" eam, in qua inest vel „δικαίωσις" vel „δικαιοσύνη" mortalium; sed „χάριν τοῦ Χριστοῦ" saepius ab eo appellatam interpretor „χάριν (Θεοῦ) τὴν ἐν Χριστῷ" cf. 2 Tim. II, 1. Quae autem „χάρις" de Iesu M. laudatur 2 Cor. VIII, 9. eius „humanitas," et quae 1 Tim. I, 14. „liberalitas ac

λοὺς ἐπερίσσευσε! Καὶ οὐχ ὡς δι᾽ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος τὸ δώρημα· τὸ μὲν γὰρ κρῖμα, ἐξ ἑνὸς εἰς κατάκριμα; τὸ δὲ χάρισμα, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. Εἰ γὰρ τῷ

clementia" eius, P. nominatim praestita, esse videtur.), ad multos (plurimos, qui et ipsi οἱ πολλοὶ vocantur ob membrorum orationis similitudinem) redundauit! At non differunt solum rebus omnino spectatis, sed earum quoque dispari ad peccatum in vtroque Adamo diuerse occurrens relatione; quod P. ita profert: Neque vero tanquam (ὡς, vt dicitur 1 Cor. IV, 18.) per vnum peccatorum (qui sane vnus fuit in caussa mortis, sed non in caussa doni vitae) donum sc. „se habet" i. e. Mors Adami et beneficium Messiae non habent ex vnitate peccantis similitudinem. Nam (quod attinet ad) iudicium (Dei de Adamo latum), ex vno (vnius delicto illud exstitit) damnans iudicium (s. „condemnatio;" εἰς τὸ circumscribit nominatiuum ex hebr. vsu particulae ל cf. Matth. XIX, 5. coll. Gen. II, 24. 1 Cor. IV, 3.) (quod ad) graticamen autem (Dei, per I. M. concessum), ex multis (Iudaeorum Ethnicorumque) delictis (hoc exstitit) probatio (i. q. absolutio). Iamque rursus diuersa rerum per vtrumque Adamum paratarum ratio commoda vocabulorum θανάτου et ζωῆς oppositione, quamquam hac alio respectu, quam v. 10., adhibita, explicatur, quo simul κατακρίματος et δικαιώματος, modo appellatorum, explanatio proditur. Quodsi enim vnius delicto mors (quae iam h. l. non simpliciter dici videtur, sed adiuncta cogitatione omnis omnino miseriae, quae ex peccatis nascitur, quam significationem vocabulo θανάτου luculentius tributam videbimus capitis se-

τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς, πολλῷ μᾶλλον οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες ἐν ζωῇ βασιλεύσουσι διὰ τοῦ ἑνὸς, Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἄρα οὖν, ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς κατάκριμα; οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀν-

quentis v. 16. et deinceps pluribus) regnauit (cf. v. 14.) per vnum (Adamum), multo magis ii, qui redundantiam (illam v. 15. praenotatam) gratiae donique, quod est in probitate (qua illi Deo accepti sunt, quae ipsa δικαιοσύνη illa est δωρεά) accipiunt, vita (i. e. omnis generis felicitate) gaudentes (quasi) regnabunt (i. e. tanquam regio fruentur statu honoris beatitatisque pleno, cf. 1 Cor. IV, 8. per vnum, Iesum Messiam. Ac nunc tandem expromit auctor totam absolutamque illam, quae ab initio menti eius obuersabatur, sententiam, idque dupliciter, vt gravior sit oratio. Ἄρα — πολλοί! Atqui igitur (respiciunt haec: ἄρα οὖν, ad omnia adhuc a v. 12. inde dicta) quemadmodum per vnum (nisi quis malit: „vnius," quod tamen absque necessitate fieret, quum P. hanc orationis formam postea ipse addiderit) delictum ad omnes (qui iidem sunt, qui v. 15. dicebantur „οἱ πολλοὶ" et rursus dicentur v. 19. ergo „omnes" collectiue intelligendi, non vniuersaliter.) homines (sc. „res vertit," τῷ: εἰς explicando, vt v. 16.) in condemnationem, ita etiam per vnum probamentum (i. e. vitam probatam; illud autem vocabulum excusetur nostro δικαιώματος imitandi consilio) ad omnes homines (res vertit) in probationem (nam quod ante v. 16. „δικαίωμα," id nunc videtur dictum δι-

θρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς: ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί; οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί! — Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεο-

καίωσις) vitae (i. e. felicitatis) fertilem. Quemadmodum enim per inobedientiam vnius (illius) hominis peccatores praestiti sunt (i. e. peccatorum loco ac dignitate habiti tractatique sunt, quum ipsi quidem peccassent, sed sine reatu et imputatione) multi (illi; quos ex v. 14. novimus ideoque οἱ πολλοὶ i. q. multitudo quaedam hominum tota), ita etiam per obedientiam (huius, cf. Phil. II, 8.) vnius probi praestabuntur (cf. de hoc futuro ad III, 30. notata!) (hi) multi (quicunque euangelium I. M. cum fide receperint)! Quum vero P. haec ita de I. M. praedicans legis quoque, quam dudum oppugnat vbique, ἐν παρόδῳ mentionem iniecisset, de ea etiam in hac magni momenti comparatione ferendum sibi putat esse iudicium; praesertim quum Iudaeo legenti facile posset in mentem venire quaestio: Quid tandem lex profuerit, si, quae per Adamum corrupta et amissa essent, per I. M. demum omnia correcta et restituta sint? Dicit ergo apostolus: Νόμος — παράπτωμα: Lex autem insuper accessit, (ne dicamus: „inuasit;" haud enim improbabilis est coniectura, P. hoc vocabulo, (cf. Gal. II, 4. et III, 19.) posito ad istud „εἰςελθεῖν τὴν ἁμαρτίαν" v. 12. respexisse; quod „insuper" autem, id quidem eo referendum videtur, vt legem ad vim peccati acuendam augendamque valuisse cogites, quod ipsum auctor et h. l. satis innuit et clarius docet e. c. 1 Cor. XV, 56.), vt delicta (singularis enim pro plurali dicitur) adaugescerent.

νάσῃ τὸ παράπτωμα. Οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις; ἵνα ὥσπερ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον; διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν! —

Quod quemadmodum intelligendum sit, P. mox VII, 7. ss. pluribus edisseret, nunc quidem transmittens, quia ad propositum, nempe ad laudes evangelii, haberet redeundum. Hoc enim tanquam magnifico epiphonemate concludit hanc periocham: Οὗ ἡμῶν! Vbi autem (quasi diceret: Nihil tamen nocere potest legis ista tristis efficacia; „vbi enim" etc.) adauctum est peccatum (etiam hic singul. pro plur. sumimus), multo magis adaucta est (Dei) gratia (in remittendis per I. M. peccatis sese exserens, quae ante dictis multis magnisque laudibus celebrata est); (ita) vt, quemadmodum regnauerat (i. e. vim suam maximam longe lateque exercuerat) peccatum (quasi tyrannus; idque iam non solum illud Adami peccatum, cui mors omnium ante legem debebatur, sed id quoque, cuius ipsa lex quodammodo caussa fuit, quae „νόμος τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου" dicetur postea VIII, 2.) morte (sc. hominibus afferenda, quae quidem „mors", nunc etiam clarius, quam v. 17., non de solo corporis interitu, sed de omni ex peccatis oriunda miseria, dicitur), ita et gratia regnaret (i. e. ad plurimos vi ac potestate valeret laetissima) per probitatem (i. e. donata probitate, qua Deus vult sibi acceptos esse homines), quae ad vitam aeternam (et felicitatem, i. e. ad spem vitae aeternae felicissimae tuto concipiendam) ducit, (et sic quidem illa regnaret) per Iesum Messiam, Dominum nostrum!

Τί οὖν ἐροῦμεν? Ἐπιμένωμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ? Μὴ γένοιτο! Οἵτινες ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, πῶς ἔτι ζήσομεν ἐν

Hic auctor negotio, quod hac in epistola in se susceperat, euangelii quum explicandi, tum vero laudandi commendandique suis lectoribus, probe defunctus sibi videri poterat, nisi Iudaei fuissent, nimium adhuc legi suae studentes, euangelicae vero veritati nondum, vt debebant, confidentes, quibus illam potissimum scriberet. Itaque vt hos partim planius etiam edoceret, partim autem confutaret et, si posset, ad doctrinam suam pure amplectendam adduceret, plura fuerunt insuper adiicienda, quibus et euangelii bonitas defenderetur, et legis Mos. caussa minime probabilis ea in luce poneretur, quam P. putaret esse verissimam. Alterum igitur veluti stadium est partis dogmaticae a P. his litteris tractatae, quod hinc incipit, quaestiunculis maxime quibusdam Iudaeorum illorum gratia propositis atque deinde explicatis absoluendum. Proxima est, ex modo dictis, potissimum ex V, 20—21. desumta, et totum caput sextum replens, haec: Τί — πλεονάσῃ? Quid igitur? Adhaereamusne peccato, vt gratia (illa Dei iamiam laudata) adaucta appareat? Quae conclusiuncula sane a Iudaeo, si minus ad vitiositatem fouendam, certe ad detrahendum euangelio, facile proferri potuit. Respondet apostolus primum breuissime ea, qua assolet haec scribens, formula: Μὴ γένοιτο! Absit hoc! dein autem verbis pluribus per totum caput mirabili quadam phrasium varietate extensis, quorum hoc est principium: Οἵτινες — αὐτῇ? Quippe qui mortui simus (quasi moriendo valedixerimus) peccato. (Vnde vero hoc P. vel sumsit vel

αὐτῇ? Ἢ ἀγνοεῖτε, ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν? Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰς τὸν θάνατον; ἵνα, ὥσπερ ἠγέρθη

arripuit? Forsan ex „θανάτου" commemoratione iamiam facta, quae illum in baptismatis Christianorum eam deduceret ideam, quam mox pertractabit et hoc iam loco cogitat.)', quo tandem modo (fieri possit, vt) adhuc (amplius) cum eo (i. q. ei adhaerentes) simus victuri? Qua autem ratione haec de Christianis nominatim et possent dici et ipse vellet intelligi, statim verbis exponit sequentibus: Ἢ — ἐβαπτίσθημεν? An vero ignoratis (quasi mirans quaerit, si hoc ignorent tamen) nos, quicunque baptizati (hoc enim sollemne Christianis vocabulum retinendum putabam) simus in Iesum Messiam (i. e. quo baptismate nimirum I. M. nomen dederimus), in mortem eius (i. e. ad imaginem mortis eius quodammodo referendam, cuius sane quaedam similitudo in notissimo, qui tum valebat, modo baptizandi, nempe totum hominem submergendi, quaeri potuit) baptizatos esse? Sic igitur praeoccupatis lectorum mentibus animisque rem docendam confidentiori iam orationis habitu pluribus persequitur. Συνετάφημεν — χάριν! — Itaque vna cum eo (vt ita loquar) sepulti sumus (quod rursus ex baptismatis antiquo ritu sumtum et h. l. et Col. II, 12., qui locus vnus nostri similis est, ad solam mentis vitaeque pristinae vitiosae abiectionem et quasi exstinctionem referendum arbitror) per baptisma, quod in mortem (illius, sensu ante explicito) factum est; vt, quemadmodum resurrexit Messias e mortuis vi gloriosa (cf. 1 Cor. VI, 14. vbi

Χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν. Εἰ γὰρ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα; τοῦτο γινώσκοντες, ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη, ἵνα καταρ-

„δύναμις" synonymum est huius δόξης, ex vsu loquendi τῶν LXX e. c. Ies. XL, 26. XLV, 24.) patris (sui), ita et nos noua (post sepulturam quasi illam mentis pristinae) vita vtamur. Quodsi enim coaluimus (i. e. arctissime coniuncti sumus sc. cum I. M.) similitudine mortis illius (per baptismum expressa), profecto (ἀλλὰ affirmat, vt e. c. 1 Sam. XXI, 5.) etiam (similitudine) resurrectionis nobis (cum eo) coalescendum est (quod haud dubie ad illustranda atque confirmanda ante posita: „ὥσπερ — περιπατήσωμεν," adeoque non de corporis, sed animi resurrectione i. e. emendatione, intelligendum est, id quod ex sequentibus magis etiam elucescit. De futuro ἐσόμεθα imperatiue vsurpato cf. Luc. III, 14. de re autem Eph. II, 5. 6. Col. III, 1. 2. Caeterum fateor; huic vulgari h. l. interpretationi me, si vsum loquendi probare valerem, libenter esse praelaturum eam, qua σύμφυτον γενέσθαι τῷ ὁμοιώμ. τ. θαν. et ἔσεσθαι τ. ἀναστάσεως de summa et summa et quasi naturali similitudine, quae Christianis sit cum morte et resurrrectione I. M., intelligeretur, idque partim propter breuitatem verborum „ἀλλὰ — ἐσόμεθα," partim coll. Phil. III, 10.); id scientes (et probe tenentes), quod vetus persona nostra (ad verbum: „vetus noster homo" i. e. animus (quem Rabbini quoque dicunt; „hominem," secundum Koppium) pristinus, nempe vitiositati deditus, cf.

γηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ· ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. Εἰ δὲ ἀπεθάνομεν σὺν Χριστῷ, πιστεύομεν, ὅτι καὶ συζήσομεν αὐτῷ· εἰδότες, ὅτι Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει· θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυ-

Eph. IV, 22. Col. III, 9.) vna (cum I. M.) cruci affixa sit (i. e. sublata sit, euanuerit, vel potius euanescere debuerit, cf. Gal. V, 24. VI, 14. Crucis autem σκάνδαλον P. a I. M. quouis modo remouere studuit!), vt (en explanationem crucifixae personae veteris!) destrueretur (quasi) corpus peccati (i. q. corpus nostrum, quatenus est suasor et paene auctor peccati, cf. VII, 18. 24. VIII, 10. i. e. natura nostra, quatenus peccat et ad peccandum prona est s. malus animus, cf. Col. II, 11. coll. III, 5.), ita vt ne amplius peccato (tanquam domino) seruiremus. Cuius rei caussa quaedam affertur haec: Nam qui mortuus est (sicut vos quidem Christiani nempe mortui estis, secundum v. 2. ss.), absolutus est (cf. Act. XIII, 38. 39.) a peccato (adeoque illi cum peccato amplius non res est omnino. Est autem hoc sine dubio scitum Iudaeorum, multis Rabbinorum dictis a Wetstenio ad VII, 3. et Wolfio (in curis criticis) ad h. l. et denique Lightfooto ad Matth. XII, 32. confirmatum, quo perhibebant, Iudaei peccata, si vel minime vllis huius vitae piaculis, certe morte expiari omnia, scililet in altera vita prorsus beati futuri, quia Iudaeus sit; quod quidem scitum P. prouerbii loco in suum vtique consilium hic adhibet, cuius tamen vestigia 1 Petr. IV, 1. quoque et forsan etiam 1 Cor. V, 5. deprehendimus.) Iam vero repetito vocabulo „ἀποθανεῖν" auctor ad nouam oppositio-

ριεύει. Ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ; ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ θεῷ. Οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε ἑαυτοὺς νεκροὺς μὲν τῇ ἁμαρ-

nem huc quadrantem convertitur. Quodsi autem mortui sumus (sensu v. 2. ss. proposito) cum Messia, confidimus (i. e. certam de nobis spem concipimus et fouemus), nos etiam victuros (et pietate praestanda et vero etiam fruenda felicitate, inde nascitura) cum eo; memores (addit hoc apostolus ad rem, de qua dixit, illustrandam atque etiam confirmandam), Messiam resuscitatum e mortuis amplius non mori (ideoque nec nobis rursus moriendum esse, quippe vitiositate rursus suscepta et deposita) mortemque (explicandi caussa haec adiecta) illi amplius non dominari (quod intellectum accommodate ad P. consilium est iq. peccata ex iisque nascentem miseriam non debere resumi a Christianis.). Quod (cf. Gal. II, 20.) enim mortuus est, peccato (i. e. peccati inter homines tollendi caussa) mortuus est semel (vt igitur mortem haud passurus esset iterum, quo nimirum exemplum praeberet Christianis, vt nec ipsi iterum ad mortem peccato praestandam, hocque ad rursus parendum peccato, redirent. Caeterum P. et reliqui apostoli, semel mortuum esse I. M. etiam hac de caussa videntur docuisse, vt mortis in Messia scandalum saltim numero minueretur.); quod autem viuit, viuit Deo (i. e. totam autem post mortem, semel toleratam, vitam Deo quum amicissimus tum gratissimus agit). Nunc haec de I. M. dicta ad Christianos, quibus ea scribebantur, accommodantur. Sic vos quoque existimate vos ipsos („ὑμᾶς“ deest, vt v. 13. 16.) mortuos peccato (i. e. pec-

τίᾳ, ζῶντας δὲ τῷ Θεῷ ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ. Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ἡμῶν σώματι, εἰς τὸ ὑπακούειν; μηδὲ παριςάνετε τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα ἀδικίας τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀλλὰ παραςήσατε ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, καὶ τὰ μέλη ὑμῶν ὅπλα δικαιωσύνης τῷ

cati caussam omnem prorsus vobis deserendam), vivos autem Deo (i. e. ad Deum omni pietatis genere colendum vobis totis, dum viuatis, enitendum esse viribus; quod paulo aliter Gal. II, 19. de se ipso testatur apostolus) per Iesum Messiam (i. e. idque propterea, quod christianas partes susceperitis). Ne igitur regnato (quod βασιλεύειν conferendum est cum illo „δουλεύειν,) peccatum in mortali (nec hoc θνητῷ sensu plane vulgari, sed cum respectu ad illud: „ἀποθανεῖν τῇ ἁμαρτίᾳ" dictum videtur q. d. in corpore, qui, sensu morali, et potest mori et debet, nempe deuictis prauis cupiditatibus; cf. 2 Cor. IV, 11. qui locus nostro similis, non aequalis, est) vestro corpore (quod igitur pro toto homine ad peccandum procliui sumendum, vt XII, 1. Phil. I, 20.); vt ei (peccato) pareatis; neque exhibete membra vestra (i. q. ante „σῶμα") arma (i. q. „instrumenta," etiam latine!) improbitatis (quibus improba patrentur) peccato (tanquam domino; cui mos in hoc gerendus sit), sed exhibete vosmet ipsos („πνεῦμα" vestrum q. d. „euer Selbst," cf. VIII, 10.) Deo, tanquam post mortem viuos (cf. v. 4. i. q. „συνεγερθέντας τῷ Χριςῷ" Col. III, 1.), atque membra vestra (exhibete) arma probitatis Deo. Peccatum enim (iste tristis tyrannus) vobis haud (haud magis, quam Iesu Christo mors iam dominatur amplius, coll. v. 9.) dominabitur (certo fu-

θεῷ. Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει· οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν! — Τί οὖν? ἁμαρτήσομεν, ὅτι οὐκ ἐσμὲν ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν? Μὴ γένοιτο! Οὐκ οἴδατε, ὅτι ᾧ

turum dicit auctor, quod, vt futurum sit, optat et postulat), quum (ad „χάριτος“ nomen reuertitur, a quo (V, 21.) huc deuenerat, sed hoc non, vt supra (l. c.) oppositum „τῇ ἁμαρτίᾳ,“ verum ipsi, per quem „ἁμαρτία ἐπλεόνασε,“ „νόμῳ,“ sane cum audaciori et ad lectoris Iudaei spiritus frangendos accommodatiori consilio) non (iam amplius) legi sitis obnoxii (Gal. IV, 4. 5. 21.), sed (per euangelium exhibitae diuinae) gratiae! — Immo vero eandem illam quaestionem, quam de gratia, peccato opposita, ex persona Iudaei ante protulerat, nunc duriori, sed magis ad rem suam facienti, oppositione „gratiae et legis“ repetit, quasi vtriusque, legis et peccati, sensu eodem recidente, caeterum manens in proposito, vt defendat caussam euangelii. Τί — χάριν? Quid igitur? Peccabimusne (i. e. an nobis putemus forsan peccandum), quod (iam) non sumus legi obnoxii, sed gratiae (vtpote quae omnia facile peccata condonatura videatur)? Quod rursus fortiter negat: Μὴ γένοιτο! Absit hoc! et negatum formulis ex antecedente oratione sumtis, ad „seruitutis“ vero ideam (cf. Ioh. VIII, 34. 2 Petr. II, 19.) potissimum flexis demonstrat. Οὐκ — τῷ Κυρ. ἡμῶν! — Nonne scitis (i. q. „ἢ ἀγνοεῖτε“ v. 3. i. e. cogitate, quaeso; ac perpendite), cuicunque (vel rei, vel personae; nam hic vniuerse auctor loquitur) exhibeatis vos seruos ad obediendum; vos esse seruos (eius), cui obediatis, siue (seruos) peccati, vt mortem (peccato coniunctam secund. dicta V, 12. ss. sed

παριςάνετε ἑαυτοὺς δούλους εἰς ὑπακοὴν, δοῦλοί ἐςε, ᾧ ὑπακούετε, ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην? Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς!

eam non corporis solum, sed omnem ex peccato oriundam vitae huius et futurae miseriam) acquiratis, siue (sc. seruos, ergo: „obedientes obedientiae" cf. v. 19. et VII, 23.; quibus dicendi inconcinnitatibus facile P. nobis probauerit veritatem confessionis de se prolatae 2 Cor. XI, 6.!) obedientiae, vt probitatem? In quibus haec argumentandi ratio inest: Mutato rerum statu, qui nimirum lege relinquenda, euangelio vero suscipiendo, mutatus sit, iam non posse fieri, vt mores pristini status cum noui moribus rursus permutare velint, si quidem cogitent, in alterutro sibi viuendum prorsus esse, altero alteri, vt mala re bonae, repugnante; quo quidem profecto summum legis cum peccato commercium significatur. Quare etiam pergit apostolus: Verum gratia Deo (est), quod fuistis (!) serui peccati (legi quum essetis obnoxii, quod P. c. II. et III. fusius probauerat), obediuistis autem ex animo (si quidem iam obediuerant hi Romani, Iudaei magis, quam Iudaeo — Christiani; est enim hoc sane prudens P. blandiloquium!) ei, quae vobis tradita est (ὑπηκούσατε — διδαχῆς dicta pro: „ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς (Sic Graeci etiam „ὑπακούειν" construvnt) τύπον διδαχῆς, ὃν παρεδόθητε," de quo Graecismo cf. III, 2.) doctrinae (nempe euangelii) formulae! Id quod includit, a seruitio legis et peccati eos per euangelium transiisse ad probitatis ministerium, quod iam et ipse auctor dicit luculentius,

Ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ. — Ἀνθρώπινον λέγω διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς ὑμῶν. Ὥσπερ γὰρ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν; οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν. Ὅτε γὰρ δοῦλοι ἦτε τῆς

his statim additis: Liberati autem a peccato (i. e. erepti ex seruitute peccati per I. M.) serui facti estis probitatis. — At Sentiebat auctor, esse duriusculum, de seruitio loqui virtutis probitatisque; excusat igitur, dicens velut in parenthesi: Ex vulgi more (i. e. non satis accurate et digne, quamquam vero grauiter satis. Cf. Sir. VI, 24. 25. vbi similis ad sapientiam habetur adhortatio) loquor (haec) propter naturae (i. e. mentis ad bonitatem euangelii agnoscendam pigrae) vestrae (quam vero difficulter cum illa obedientiae ex animo praestitae laude conciliandam!) imbecillitatem. Qua excusatione sequentibus etiam praestructa rursus eadem tractat vlterius. Etenim quemadmodum exhibebatis (olim Iudaei) membra vestra (cf. v. 13.) serua impuritati iniustitiaeque (tanquam personae) ad iniustitiam (exercendam, tanquam rem), ita nunc (Christiani facti, si quidem vere facti) exhibete membra vestra serua probitati ad sanctitatem (mentis vitaeque colendam). Ac pondus his adiicit ex diuersis rei vtriusque natura et effectibus. Quum enim serui eratis peccati, liberi (i. e. nondum serui s. addicti) eratis probitati (durius ob vocabulorum relationem dicam pro: „vacui eratis probitatis studio"). Agite vero

ἁμαρτίας, ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ. Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε, ἐφ᾽ οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε? — Τὸ γὰρ τέλος ἐκείνων θάνατος! Νυνὶ δὲ ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, δουλωθέντες δὲ τῷ θεῷ, ἔχετε τὸν καρπὸν ὑμῶν εἰς ἁγιασμόν; τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον! Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος; τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ κυρίῳ ἡμῶν! —

quem (tandem) fructum habebatis tum temporis ex iis (moribus et factis), quorum nunc vos pudet? Nimirum „nullum!“ (cf. Eph. V, 11.) quod apostolus ipsa sua quaestione et vocabulo γὰρ sequente satis innuit, plane vt supra IV, 1. 2., sic dein pergens: Extremum enim eorum (i. e. id, quo tandem omnes peccati effectus exeunt) mors (omnis generis, post hanc vitam maxime, miseria, res sane haud digna nomine „fructus“ laeto semper et honorifico; cf. Hist. Sus. v. 22. 23.) est! Nunc autem liberati a peccato, serui autem facti Deo, (nam Dei illa „probitas“ est, ante laudata saepius.) fructum (vtique) habetis vestrum (s. „vobis,“ nempe eum, quod adducimini ad) sanctitatem (vitae; de εἰς hebraizante cf. ad V, 16); extremum autem (i. e. finem, quo omnes denique sanctitatis huius effectus tendunt, sc. „habetis,“ tacite repetito τῷ: ἔχετε) vitam (felicissimam) aeternam: Namque (Sic haec concludit tandem apostolus!) stipendia peccati (tanquam mali imperatoris) mors (significatu isto pleniori, quem saepius habuimus) sunt; beneficium vero (gratuitum, q. d. „donativum“) Dei (quasi boni regis) vita (et felicitas)

Ἢ ἀγνοεῖτε, ἀδελφοὶ, (γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ) ὅτι ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου, ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ? Ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ; ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου

aeterna est, speranda (illa quidem) auctore Messia Iesu, domino nostro! —

Haec igitur de gratia euangelii contra iudaicam calumniam defendenda hactenus! Quum autem P., animo magis, quam verbis, cap. VI. toto, potissimum a v. 14. inde, aduersus legis Mosaicae vtilitatem disputasset, vocabulis „θανάτου" et „ζωῆς" iamiam saepius adhibitis ferebatur in cogitationem de hac lege omnino, tanquam per mortem, nunc Iudaeis relinquenda, quae cogitatio quia cum ipsius legis praeceptione facillime poterat connecti, aptissima illi videbatur ad Iudaeos lectores de eo, quod vellet, certo persuadendos. Nam id, quo sequens oratio proxime tendit, his continetur: Messia, — persona Iudaeo prorsus sequenda, quia propria, — mortuo moriendum est et Iudaeo cuique, qua tali, in legis nimirum derelictionem, cumque eodem illo Messia denuo vitae reddito ad nouum vitae statum transeundum, qui est euangelii. Haec VII, 1—6. tractantur, ad quae auctor formula sibi familiari hunc facit transitum. Ἢ — ζῇ? Anne vero ignoratis (quod sane haud ignorantes, velim, perpendite), fratres, (i. q. populares, nomine appellati amicissimo) — ad gnaros enim legis (hac illi parenthesi certius etiam designantur) haec (omnia hucusque) loquor — legem dominari homini, quamdiu vita daret? Sic enim absolute et simpliciter illud ζῇ h. l. dictum videtur, omisso vocabulo „τὶς" (cf.

τοῦ ἀνδρός. Ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ; ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, ἐλευθέρα ἐςὶν ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ. Ὥςε, ἀδελφοί μου, καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώμα-

2 Cor. VIII, 12., nisi malis, „ζῆν“ passiue dici, vt e. c. hebr. קרא Gen. XVI, 14.), vt P. hoc exprimat: Vis ac dominatio legis vitae terminatur finibus. Alioquin enim id, quod de vidua morte mariti a legis dominio liberata statim sequitur, non quadraret; quo tamen exemplo P. fuit opus, vt de nouis Christianorum cum Messia vinculis quasi coniugalibus posset dicere. Caeterum ego haud plane negauerim, P. in his afferre illud dictum Iudaeorum: „Postquam mortuus est homo, liber est a praeceptis!“ sed hoc inflexum ad suum vtique consilium. — Iam vero apostolus, quod vniuerse posuerat, re singulari, quae exempli instar sit, illustrat et comprobat. Ἡ — ἑτέρῳ. Mulier enim maritata viuo mari-to (i. q. „ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς,“ vt dicit 1 Cor. VII, 39.; quod hic forsan non dixit, vt ne verba eodem loco bis poneret.) alligata est lege; quando autem mortuus est maritus, desiit teneri lege mariti (i. e. maritali). Atqui igitur viuo (adhuc) marito adultera audiuerit, si facta fuerit viri alterius (cf. Leuit. XXII, 12. Deut. XXIV, 2.); quando autem mortuus est maritus, libera est a lege, ita vt (iam) non sit adultera, etiamsi facta viri alterius. Hinc apostolus ad quod tetenderat, accedit propius, accommodando ea, quae iamiam dixerat. Ὥςε — θεῷ. Similiter, fratres mei, vos quoque

τος τοῦ Χριςοῦ, εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι, ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ θεῷ. Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, τὰ διὰ τοῦ νόμου, ἐνεργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, εἰς τὸ καρπο-

morte erepti estis legi (cf. Col. II, 20.) per corpus Messiae (i. e. Messia, tanquam loco vestri, mortuo; de „σώματι" cf. Ebr. X, 10.) vt fieretis alterius (quasi et ipsius mariti, de quo cf. 2 Cor. XI, 2.), nempe resuscitati (eiusdem nimirum Messiae, qui saltim quodammodo aliis dici poterat, nunc viuus, ante mortuus; de re cf. 2 Cor. V, 15 ss.) ex mortuis, vt fructum (nos olim Iudaei, nunc Christiani, omnes) laturi essemus (quod latine etiam de partu dicitur, cui rei sine dubio hic alludit apostolus. De mutato verbi tempore cf. e. c. Gal. III, 14.) Deo (i. e. vt facta essemus edituri Deo accepta). Et hoc quidem accommodate ad exemplum, quo v. 2 ss. vtebatur, apposito ad illam „θανάτου," improprie dicti, commemorationem c. VI, vsurpatam reuoluitur, cum legis mentione hic, vt fere vbique, coniunctam. Ὅτε — θανάτῳ. Nam tum, quum imbecillitate (sc. mentis, i. e. mente ab amore veri bonique, quod in evangelio inest, aliena, nempe legi adhuc nimium dedita laborabamus (quod igitur h. l. paene est i. q. „quum adhuc eramus Iudaei nomine et omine," cf. VIII, 3 ss.), affectus peccatorum (i. e. praui affectus), qui per legem excitabantur (cf. v. 8. 11.), efficaces erant (ἐνεργεῖσθαι absolute dictum de alia re vid. Gal. V, 6.) in membris nostris (i. q. „ἐν τῷ σώματι ἡμῶν" i. e. „in nobis"), ita vt fructum ferremus morti (quasi domino, Dei

φρῆσαι τῷ θανάτῳ. Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες, ἐν ᾧ κατειχόμεθα; ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος. —

aduersatio, i. e. ita vt vitam ageremus, quae nos faceret morti obnoxios). Ac tandem hanc periocham apte concludit verbis partim ex paulo ante dictis, partim ex VI, 16 ss. et adeo ex II, 29. desumtis. Νυνὶ — γράμματος. Nunc autem (Christiani facti) desiimus teneri lege, mortui (cum P. M.) rei (legi!), qua fueramus obstricti (cf. Gal. III, 23.), vt (iam) nobis seruiendum (i. e. obedientia praestanda sc. Deo) sit (δουλεύειν absolute, sed sensu seruiliori, dictum legitur Gal. IV, 25.) ex (ἐν i. q. „κατὰ," vt e. c. Col. II, 6.) nouo (Christianis proprio) spiritu (i. e. secundum id boni principium, quod in Christianis nouum est, i. q. animo Christiano homine digno), non (amplius) ex vetere (legis) littera (i. e. secundum eam sentiendi agendique rationem, quae in Iudaismo valuerat; nisi malis cum Bengelio et hic ingenioso, interpretari: „δουλεύειν τῇ (non: „ἐν τῇ") παλ. γρ." i. e. se addictum praebere legi isti pristinae litterali, vi spirituali carenti.). —

At enim rursus apostolus grauissime accusasse videri poterat legem, cui „παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν" v. 5. tantum non imputauerat, et qua demum abrogata dixerat lectoribus esse Deo seruiendum „ἐν καινότητι πνεύματος" i. e. cum vitae sanctitate. Quis iudaice sentientium his quidem lectis non offenderetur? Quis autem horum aequo ferret animo tale tamque arctum rerum pro suo sane iudicio diuersissimarum, legis et peccati, commercium? En nouam necessitatem excu-

Τί οὖν ἐροῦμεν? Ὁ νόμος ἁμαρτία? Μὴ γένοιτο! Ἀλλὰ τὴν ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων, εἰ

sandae libertatis suae auctori nostro exinde ortam! Hinc igitur fluxit, quae hoc totum, quod reliquum est, caput implet, oratio, qua id agit apostolus, vt demonstret, lege Mosaica, licet non procreari, tamen mirum quantum adiuuari, peccandi libidinem; quare summas Deo gratias habendas agendasque, quod ea mortales liberare voluerit. Illum autem haec persequentem subinde ad legem Dei omnino spectandam se conuertisse, nec obscurum fore reor nobis lecturis, neque vero non facile explicabile, quum sciamus, Mosaicam legem iudaeo quidem homini plane fuisse vnicam et omnem lege diuinam, ita vt prorsus idem esset ex huius iudicio, de illane, an de lege Dei omnino spectata diceres. His itaque praemissis aggrediamur partem epistolae difficilis fere difficillimam, cuius hoc a quaestione, ante positis, vt diximus, praeparata, est initium. Τί ἁμαρτία? Quid igitur? Num lex (nostra) peccatum (i. e. num lex iudaica, quia peccati, rei pessimae, effectrix, ipsa res pessima) est? Quod negat auctor: Μὴ γένοιτο! Absit hoc! et tamen docet, peccatum legi esse proximum, nempe (secund. 1 Cor. XV, 56.): „τὸν νόμον τὴν τῆς ἁμαρτίας δυναμίν.“ Ἀλλὰ — ἐπιθυμίαν. Veruntamen peccatum equidem (haec P. ex persona Iudaei, qui et ipse fuerat, igiturque se non excluso, dicit) non noui (aliter), nisi per legem (quam ille semper contendit „τῶν παραβασέων χάριν“ esse latam, quaque sine dubio Iudaei, quibus haec vnica esset, se peccatores primum cognoscebant): nec enim cupiditatem (quam scriptores ecclesiastici vocant „concupiscentiam,“ „das Gelüsten“ i. e. peccandi libidinem et quasi pruritum)

μὴ διὰ νόμου· τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν· „Οὐκ ἐπιθυμήσεις!“ Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία, διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν.

ipsam (quae nondum est actuale peccatum) agnouissem (i. e. sciuissem, eam, quae vere in me aderat, sed me nescio, maxime esse hanc prauam, nempe peccandi, libidinem), nisi lex (mihi, e. c. Exod. XX, 14. (17.) dixisset: „ne cupidus esto!“ Occasionem vero nactum peccatum (simile in hoc menti malitiosae hominis, quippe cui nihil praeter occasionem opus sit ad se continuo ac triste exserendam) procreauit per praeceptionem (i. q. praecepta singula) in me (s. meo animo) omnem (praui) cupiditatem. Quibus igitur pluribus verbis auctor explicat, quod idem III, 20. dixerat his paucioribus: „διὰ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας“ i. e. Iudaeis lex sua hoc (partim bonum, partim malum) praestitit, quod hac demum cognita de factis suis, malene an bene facta essent, iudicare discerent. Quod ille adeo Dei inferenda ipsis lege propria consilium fuisse perhibere solet, nimirum datam illis legem non in id, vt hac obseruata de gratia Dei sibi maxime prae aliis gentibus parata gloriari possent, sed vt haberent, quo monerentur coercerenturque in agendo, tanquam quendam magistrum et „παιδαγωγὸν“ (Gal. III, 24.), qui in ipsis hac institutione elementari et imperfecta (hinc illa: „στοιχεῖα τοῦ κόσμου τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχά“ Gal. IV, 3. 9.!) saltim ruditatem mentis vitaeque excideret atque sic moralem animi emendationem inchoaret. Hoc autem nostro loco P. id praesertim spectat, vt legem, licet, per se bonam vtilemque, non potuisse tamen, quin ad peccandum

Χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά; ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ: ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς ἡ

incitaret („ruimus“ enim „in vetitum!“), demonstret. Pergit igitur, illustrans, genere spectato, ea, quae iam de specie dixerat: Χωρὶς — ἀπέκτεινεν. Nosque lege enim peccatum (est et esse solet) mortuum (i. e. languet, torpet, caret viribus et efficacia, fere vt a Iacobo „πίστις νεκρὰ“ fides effectu carens, dicitur. Est autem illud P. vniverse de legis omnino spectatae ad peccatum, quasi malum in homine principium, habitu intelligendum; nam quod de lege omnino valet, id de Mosaica quoque, quae Iudaeis erat omnis et vnica); egomet autem (homo et omnino et per eminentiam dictus, nempe homo natura morali praeditus, cuius ex persona haec P., se non excluso, loquitur) absque lege viuebam (vigebam virtute naturali, qualis vel puerorum, vel gentium incultarum, esse solet, quippe legis, vt nondum cognitae, ita nec violendae cupidine corrupta) aliquando (quocunque demum illud tempore et quamdiu; „irgend einmahl:“ nam P. hac quasi historia nil nisi illustrat ea, quae de lege iamiam dixerat, eam esse peccati tantum non caussam.). Ingressa (inducta; quod idem de „πίστει“ dicitur Gal. III, 23. 25. eodem sensu; nisi quod h. l. quia haec non vera narratur historia, nec illud ἐλθούσης ad certum tempus referendum est.) vero praeceptione (quae legis est) peccatum coepit reuiuescere (non quasi olim vixisset, sed quia dictum fuerat „mortuum,“ q. d. peccatum istud, persona pessima, iam morte feliciter quasi sepultum et exstinctum vitam fato recepit tristissimo); egomet autem (homo moralis) moriebar (nempe virtute illa naturali iam vi legis corrupta et deleta); at-

ἁμαρτία ἀνέζησεν; ἐγὼ δὲ ἀπέθανον; καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν αὐτὴ εἰς θάνατον. Ἡ γὰρ ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβὼν, διὰ τῆς ἐντολῆς ἐξηπάτησέ με καὶ δι' αὐτῆς ἀπέ-

que (sic) reperta est (i. e. euasit, facta est, i. q. „γέγονε“ v. 13. ad similitudinem hebr. מצא e. c. Gen. II, 20.) mihi praeceptio illa ad viuendum (i. e. vt virtus naturalis vigore viribusque, cumque ea felicitas mea, cresceret) data valida ipsa ad moriendum. Ergo lex mortem homini moralem attulit? Quin id ipsum ne quis P. posset exprobrare, statim sic se explicat: Nimirum peccatum (haec enim vera caussa est mali, lex nonnisi adiuuat) occasionem (vt dixi, v. 8.) nactum, per praeceptionem decepit me (nempe malam cupiditatem legis violandae tanquam rem bonam, vtilem gloriosamque mihi effingens, cf. 2 Cor. XI, 3.) atque per eandem (sensu ex hucusque explicatis facile deprehendo, nempe morali) interfecit. Indubia res est, sine lege non peccari ab homine, quum lex scopus sit, a quo demum peccando aberret, adeoque etiam innocentiam, lege nondum vlla cognita praestitam, peccati quidem absentiam esse, sed virtutem neutiquam. At enim P., ex hac philosophandi subtilitate minime taxandus, id potius vnice hic spectare putandus atque aestimandus est, vt legi Mosaicae, contra quam legis quoque omnino dictae nomine disputat, peccati, si minus procreationem, certe provocationem promotionemque attribuat et obiiciat. Quod quam caute tamen et vero etiam subtiliter agat, non est, opinor, quod attento horum lectori pluribus monstrari oporteat. Vnde nunc ad omnem suspicionem malae de illa lege prolatae sententiae a se

κτεινεν. Ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία καὶ δικαία καὶ ἀγαθή. — Τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος? Μὴ γένοιτο! Ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία, ἵνα φανῇ ἁμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον, ἵνα γένηται καθ᾿ ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς. Οἴδαμεν γὰρ, ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν; ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω. Οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω; ἀλλ᾿ ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ. Εἰ δὲ,

remouendam porro dicit: Ὥστε — καλός. Atqui ergo lex (proprie Mosaica, de qua tamen haec praedicantur, tanquam ea sit Dei vnica) sancta (res), et praeceptio (quae a lege h. l. non differt, nisi nomine) sancta, proba, bona (res) est. Cui summae legis laudi statim, sed, vt solet, per quaestiunculam, subiungit, qua tamen ratione haec res optima pessimae det ansam et copiam. Bona res igitur mihi mortis (i. e. vitiorum ac, quae inde nascitur, miseriae) exstitit? Absit hoc! Immo vero peccatum, quo (sane) appareret (tale, quale est reuera, nempe) peccatum, per bonam (illam) rem mihi procreauit (κατεργαζομένη sc. vel „ἦν," vel „ἐστί") mortem, ita vt fieret abunde (quia re bona ad res pessimas pessime abutitur) peccator peccatum (idque) per praeceptionem. Constat enim (inter nos Iudaeos), legem esse (rem) spiritalem (i. e. natura optima ac perfecta praeditam, quam nos fere „idealem" dicimus, vno splendidissimo verbo: diuinam.), me vero esse

ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, σύμφημι τῷ νόμῳ, ὅτι καλός. — Νυνὶ δὲ οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι

corpore affectum (qui quidem σαρκικὸς qualis sit, satis intelligitur e proximis), venditum (quasi, seruitii instar) in peccati potestatem. Ipse enim, quid sit, quod faciam, non habeo dicere (Nos fere sic: „Ich bin in meinem Thun mir selbst ein Räthsel." Nimirum P. hic a tramite disputationis parumper diuertens se ipse miratur, alia volentem, alia vero factis exprimentem, quales nos saepe omnes sumus; quo ille paulo post, lege rursus laudata paucissimis, ad philosophandum suo more de origine vitiositatis humanae prolabitur.) Nam non, quod volo, perficio, sed quod odi (s. improbo), id perago (cf. Gal. V, 17.). Quodsi autem id, quod nolo, (tamen) perago, attestor (nempe illo „nolle," quae bonae mentis cum lege consentientis improbatio est) legi, rem eam esse praeclaram. Nunc igitur philosophari incipit: Νυνὶ — μέλεσί μου. Iam vero nec egomet (quod ita scilicet videri poterat ex v. 14. „ἐγὼ σαρκικός εἰμι." hoc ita facio, sed (facit hoc) habitans in me (i. e. insitum et infixum mihi, nescio vnde, neque vnquam prorsus expellendum) peccatum. Scio enim (et satis habeo compertum) haud habitare in me (quod ἐγὼ ne confundatur cum illo meliori, modo appellato statim addit) id est, in carne mea (i. e. in ea parte naturae humanae, quae nos pronos reddit ad res quascunque inhonestas studiose sectandas, quam nos vocamus, sensu quidem morali, sed odioso, „die Sinnlichkeit"), bonum (i. e. scio, id quod carnali mihi insit, non esse rem bonam; peccatum enim est, vt ante dixerat). Namque vt velim (sc. „τὸ καλὸν," quod huc assumendum ex sequentibus),

αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. Οἶδα γὰρ, ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ

id quidem (quod sane et ipsum P. Phil. II, 13., religiose loquens, Deo fert acceptum) praesto est mihi, vt vero faciam, quod praeclarum est, haud (in me) reperio. Non enim quod volo bonum, perago, sed quod nolo, malum, id perficio. Quando autem quod nolo ego, id perago (tamen), non iam hoc egomet (vt dixi) facio, sed habitans in me peccatum. Atqui ergo reperio hanc (quasi insitam mihi) legem (i. e. vim conformationemque naturae, mox aliis verbis clarioribus describendam), quod volenti facere bonum (τὸ καλὸν i. q. „ἀγαθὸν" v. 19.) mihi (alterum ἐμοὶ abundat, inde ortum, quod P. „ὅτι" verbis: „τῷ — καλὸν" postponebat ea de causa, vt „τῷ θέλοντι," quae res inprimis spectanda erat, collocaretur statim ab initio; nisi quis malit, illa verba iungi τοῖς: „εὑρίσκω τὸν νόμον" hoc sensu: „reperio hanc legem volenti mihi bonum facere" sc. „impositam, κείμενον" cf. 1 Tim. I, 9. Caeteras interpretationes, quas viderim, omnes his duabus, vtrisque eodem redeuntibus, multo coactiores iudico.) malum (quamuis noluerim, tamen) praesto sit. Nam (nimirum his ipse auctor interpretatur, quae iamiam dixerat) delector quidem lege Dei (quae lex moralis est, qualis ex parte Mosaica etiam spectari poterat) secundum internum (apud Iudaeos sic dictum, coll. 2 Cor. IV, 16. Eph. III, 16.) hominem (i. e. mentem honesta probantem, quae est i. q. „ἐγὼ" ille, melior et nobilior pars naturae nostrae moralis, saepius a P. subinde in h. cap. illo vocabulo appellata), video (i. q. „εὑρίσκω" v. 21.) autem aliam legem quae est

σαρκί μου, ἀγαθόν: τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι καλὸν οὐχ εὑρίσκω. Οὐ γὰρ, ὃ θέλω, ποιῶ ἀγαθόν; ἀλλ', ὃ οὐ θέλω, κακὸν, τοῦτο πράσσω. Εἰ δὲ, ὃ οὐ θέλω ἐγὼ, τοῦτο ποιῶ, οὐκέτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον, τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται. Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον; βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ

in membris (i. q. „ἐν τῇ σαρκὶ" v. 18. cf. Coll. III, 5.) meis, repugnantem (tanquam hostem bellicum) legi mentis meae (quae lex est „hominis interni") et captiuum me reddentem (quod bello solet fieri) legis peccati, quae est in membris meis (ideoque ista lex tristis naturae ad peccandum pronae sibi ipsi hominem subiicit, quod P. saltim verbis: „τῷ — μου" omissis dixisset melius). — Habes igitur in his memorabilem, etiamsi minus probabilem, apostoli nostri de ortu mali moralis, re sine dubio impeditissima, opinionem, ad principium quoddam per se malum, origine natum obscura, nec in hac vita vnquam omnino exstirpandum, Satanae vtique simillimum, omnem humani generis vitiositatem atque implicitatem ex illa oriundam referentem; quam quidem opinionem noster, dummodo respiciens ad h. epistolae consilium, ideo h. l. proposuit, opinor, vt pateret, qui fieret, vt ne Christianus quidem vllus, immo vt nec ipse (cf. Phil. III, 12 — 14. confessionem P. de

ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος! Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου? — Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν! — Ἄρα οὖν

se similem!), a peccatis committendis prorsus abstinerent, quae tamen in his profecto hominibus nonnisi leuiora et fere inuoluntaria, ideoque nec criminosa aeternisue digna poenis esse, paullo post (VIII, 1 ss.) contendit. Motus autem tristitia per illud de peccato peccati fonte philosophandi qualecunque exercitium suborta in hanc iam exclamationem, ad se non minus, quam v. 25. sequentia, pertinentem auctor erumpit: Ταλαίπωρος—τούτου? Vae misero mihi homulo! Quis tandem me immunem praestabit ab hoc mortifero corpore? Quae haud dubie nulla egent explicatione, si priora legeris. Quis enim parum oculatus non videat, mortem non optari simpliciter et proprie dictam, sed istius mali exstinctionem, vel saltim eneruationem, principii? Et ecce apostolum a Deo, per I. M. sibi propitio, sperantem, quod auide optauerat! Εὐχαριστῶ — ἡμῶν! Nimirum (summas) gratias ago (habeoque) Deo (qua de re, caeterum haud difficili iudicio ex contextu reperiunda, affectus feruore omisit dicere) per (cf. ad I, 8.) Iesum Messiam, nostrum dominum! Haec vt in parenthesi, quippe quae affectus fuderat, similia illis, quae 1 Cor. XV, 57. plenius dicta leguntur. Iam vero sedatiori et ad ordinem dicendorum restituendum facta oratione hanc totam de ortu potestate peccati tractationem sic concludit: Ἄρα — ἁμαρτίας. Atqui igitur (hic est illius dissertationis exitus!) idem ego (quasi persona duplex vnius hominis, vt est

αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας.

Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριςῷ

apud Xenoph. Cyrop. VI, 1, 41.) mente quidem (i. q. „τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ" s. „πνεύματι") seruio (addictum me sentio) legi Dei (quae ipsa ante „νόμος τοῦ νοός!") carne vero (i. e. quatenus ego imbecilli ad officia praestanda natura sum) legi peccati. (Quod nos fere diceremus: „So ist's demnach. Der Geist in uns dient dem Gottesgesetz (der vernünftige Wille ist gut); aber die Sinnlichkeit macht uns zu Sklaven der Sünde!" cf. Matth. XXVI, 41.). —

Iam semel auctor doctrinam suam contra istam a Iudaeis metuendam calumniam, quod per gratiae pollicitationem ad peccandum alliciat, c. VI. defenderat. Eodem tamen hic redit iterum, potissimum hac de caussa, vt puto, quia proxime disputatis concesserat, a Christianis quoque haud abesse peccatum omnino. Quod ne in euangelii contumeliam peruerti posset, nunc ostendit, nec tantum in Christianis peccata valere, vt digni sint damnatione, et vero I. M. in hoc esse a Deo missum, vt, quicunque ad ipsius transiret partes, omni mentis malignitate morumque vitiositate exutus virtuti pietatique amandae ac praestandae totum sese traderet. Sic igitur, ex VII, 25. concludens, infit: Οὐδὲν — Χριςοῦ! Nihil ergo (quantumuis forsan hoc aliter ex ante dictis possit videri) nunc (rebus humanis per I. M. correctis et refectis, cf. VII, 6.) est, quod damnationem Messiae Iesu (veris) sectatoribus (i. q. Christianis, nusquam tamen a P. sic appellatis, puto, ne sectae nomen vel adiuuaret vel induceret, cf. Act. XXIV, 14.) afferat

Ἰησοῦ! Ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, — ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί; ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ

(quum tales „τῷ μὲν νοῒ δουλεύωσι νόμῳ θεοῦ," licet „τῇ σαρκὶ νόμῳ ἁμαρτίας")! Tumque statim apostolus, verbis non magnopere ad boni stili regulas exigendis, sed profecto grauissimis, exponit, qua ratione Deus lege Mos. abrogata generi humano per I. M. optime consuluerit. Ὁ γὰρ νόμ.—πνεῦμα. Lex enim, per quam (nos, animum nostrum) agit Spiritus (persona diuina Christianis propria), qui vitam (i. e. virtutem eiusque felicitatem) largitur in Messia Iesu (i. e. in I. M. societate s. ab eius sociis) habendam (quam denique euangelii, s. Christianismi, περίφρασιν esse, quis non videbit dudum?), liberavit me (quatenus iam non amplius sum merus Iudaeus; quod igitur P. simul dicit de quoque Christiano homine, natione sibi simili. Nisi putemus, hoc singulari numero eum se multitudini Christianorum e Iudaeis oriundorum, quae Romae esset, opposuisse?) a lege peccati et mortis (i. e. ea, quae cum peccatis solet esse coniuncta illaque adiuuat, indeque statum excitat prorsus miserum; quae quidem duo „τοῦ νόμου" cognomina, „τῷ πνεύματι" et „τῇ ζωῇ ἐν Χρ. Ἰησοῦ" e regione collocata, quis dubitet, quamuis possint per se de ista peccati lege, quae VII, 21—23. describebatur, intelligi, ex P. tamen mente rectissime (cf. 2 Cor.

κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦ-

III, 6. 7.) trahi ad legem maxime Mosaicam? Quod ne vllo careret dubio, continuo addita sunt haec:). Nam quod impotens (cf. Ebr. VII, 18. 19.) (fuit) lex (Mosaica s. iudaica, luculentissime, nempe absolute, dicta, cui tamen ne cum inuidia impotentiam tribuisset, illico addit), quandoquidem (hebr. בַּאֲשֶׁר e. c. Gen. XXXIX, 9. 23.) inualida erat (bono carebat effectu) per carnem (in qua inest „ἁμαρτία," VII, 18. 25.), Deus filio suo (ad homines tanquam legato) misso, induto quidem speciem (cf. Phil. II, 7.) carnis peccato obnoxiae (i. e. hominis vulgaris), et peccati (tollendi) caussa (nisi malis: „et piaculari sacrificio," vt Ebr. X, 6. coll. v. 18. Bar. I, 10. ex hebr. חטאת e. c. Leuit. VI, 23. (30.), vtrumque quidem eodem demum sensu), condemnauit (cf. 2 Petr. II, 6. i. e. et voluit et effecit, vt deleretur, quasi supplicium patiens) peccatum, quod in carne est (nisi quis maluerit, P., audacius sane, quam 2 Cor. V, 21. et Gal. III, 13., locutum, dixisse: „Deus quasi supplicio deleuit peccatum in corpore" sc. I. Messiae, cf. Eph. II, 15. Col. I, 22., quae tamen „τῆς σαρκὸς" repetitio, sensu et respectu eodem occurrens, paene otiosa esse videtur.), ita vt praecepta (sc. moralia, quatenus talia sunt, vt dicebatur „τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ" I, 32.) legis (a Iudaeis minime impleta, cf. II, 23.) implerentur in nobis (i. q. a nobis, cf. 1 Cor. IV, 6. i. e. nostra Christianorum sentiendi agendique ratione), qui non ex carne (i. e. non pro imbecillitate naturae nostrae morali) vitam degeremus, sed ex spiritu (i. e. pro diuino instinctu coelestis illius, quo Christiani semper agi debent, spiritus). Quod

μα. Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν; οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ πνεύματος. Τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος; τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη. Διότι τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν; τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑποτάσσε-

quid et quale sit, P. iam pluribus clarioribusque verbis explicat. Οἱ — δύνανται. Qui enim carnales (quod vocabulum, a nobis adhibitum, vt „carnem," interpretandi ἀκρίβεια excusauerit!) sunt (i. e. qui naturam nondum moraliter emendatam habent; quo simul, quantum ex toto orationis contextu, coll. etiam VII, 5., patet, status Iudaeorum religiosus imperfectus innuitur), iis, quae carnis sunt (i. e. rebus prauis) student (cf. Matth. XVI, 23.), qui vero spiritales (quod interpretandum est ex illo opposito), iis, quae sunt spiritus (qui ergo non magis persona est, quam ista „caro"). Studium enim carnis mors est (i. e. Id, quo natura nondum correcta tendit, vitia sunt vitiorumque consequens miseria), studium vero spiritus vita (i. e. animus virtute vigens) et status (respectu Dei habito, cf. V, 1.) pacificus (i. e. conditio vitae felicissima, quum is demum, qui Deo vtitur pacato, ex Iudaeorum quidem mente eodem propitio h. e. omnis felicitatis benignissimo datore, vtatur). Nam studium carnis est inimicitia (ἔχθρα respondet „τῇ εἰρήνῃ," cf. etiam Iac. IV, 4.) aduersus Deum; quippe (illa „σὰρξ") legi diuinae (quae profecto non est Mosaica, qua talis, sed „νόμος τοῦ νοὸς" VII, 23. coll. v. 25. et „νόμος τοῦ πνεύματος" VIII, 2., eadem sine dubio cum „νόμῳ τοῦ Χριστοῦ" appellato Gal. VI,

ται; οὐδὲ γὰρ δύνανται: οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. Ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐςὲ ἐν σαρκὶ, ἀλλ' ἐν πνεύματι; εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. Εἰ δέ τις πνεῦμα Χριςοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔςιν αὐτοῦ! Εἰ δὲ χριςὸς ἐν

2., adeoque potius opposita Mosaicae)' non se submittit; neque enim vero (sc. se ei submittere) potis est (cuius nimirum natura ipsa per se honestati a Deo praeceptae repugnet); qui autem (i. q. „quare etiam, qui") carnales sunt, Deo placere non possunt. Quae omnia bene meminerimus non solum contra vitiosam quorumcunque mentem moresque prauos dici, sed contra Iudaeorum potissimum, et id quidem grauissime, quamquam tacite. Quod quo minus, ita se habere, dubitemus, sequentia admonent, quibus nempe Christianorum mens et vitae ratio, quae debita sit, depingitur. Ὑμεῖς — ὑμῖν. At vero vos (quod P. magis bene sperans, quam confidens, de Iudaeis, suis lectoribus, quibuscum haec agit, quin dixerit, ex ipsa forma orationis vix dubium relinquitur) non carnales estis (scilicet), sed spiritales, si quidem spiritus Dei in vobis habitat (eodem mansionis et efficaciae sensu, quo h. vocab. de re prorsus contraria dicebatur VII, 17.). Si quis autem spiritu Messiae (qui spiritus ergo idem est, qui Dei, non animus ipse virtuti deditus, sed huius animi diuinum principium) caret, is non est illius (sc. Messiae; quamuis baptizatus doctrinamque euangelii, non tam animo, quam ore solum, professus)! Quodsi vero Messias in vobis est (i. q. „εἰ δὲ πνεῦμα Χριςοῦ ἔχετε" i. e. quodsi veri estis Christiani. Caeterum Messiae spiritus ab illo haud sane

ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν, τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ

differt, quatenus ipse appellatur πνευματικός, spiritus diuini naturam et efficaciam mente factisque adeo perfecte repraesentans, vt pro illo sumi possit; cf. 2 Cor. III, 17.), corpus quidem est mortuum, quod ad peccatum attinet, (i. q. „ἀπεθάνετε τῇ ἁμαρτίᾳ" s. „ἡ ἁμαρτία οὐ βασιλεύει ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι" ex cap. VI. „Corpus" videtur appellari, quia pars est hominis „morti," semel hic nominatae, obnoxia, sed id quidem pro toto homine.), spiritus autem (qui rursus est totus homo, verum a parte meliori, quae mens est, dictus) viuus (nam ζωὴ i. q. „ζῶν," metonymice!), quod ad (actiuo passiuoque sensu accipiendam) probitatem (i. q. „πνεύματι δὲ ζῆτε τῷ θεῷ" secundum VI, 11.).

Namque si spiritus eius, qui resuscitavit Iesum e mortuis, in vobis habitet (haec propter verborum ἐγείρειν et ζωοποιεῖν aptum commodumque in hac re vsum adduntur, caeterum nihil noui docentia; nisi quod et ipsum illud corpus peccato iam quasi morte subtractum, quatenus πνεύματι moueatur, ad probitatis vigorem euectum iri affirmet, quo illa v. 10. dicta repetuntur aliquanto plenius), is, qui Messiam resuscitauit e mortuis, vitam etiam largietur (vt adeo non solum „πνεῦμα" in Christianis viuat, quod ante dictum fuerat, sed propter huius vitam et „σῶμα" moraliter viuere incipiat) mortalibus (quippe eo sensu, quo ante „νεκρὸν" dicebatur corpus, nempe morali, cf.

πνεῦμα ἐν ὑμῖν. Ἄρα οὖν, ἀδελφοὶ, ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκὶ, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν! Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν; εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θα-

VI, 12.) vestris corporibus, (id quod dico) propter habitantem ipsius in vobis spiritum (i. e. quatenus in vobis est et operatur ille spiritus). Quae sic intellecta satis, opinor, clare loquuntur, non de corporalis vitae restitutione olim futura eaque dudum Iudaeis lectoribus notissima, sed de excitandis ad virtutem eiusque felicitatem animis haec, vt ante posita, esse interpretanda. — Sequitur tandem admonitio ex hucusque tractatis sumta, non noua pars epistolae, sed eiusdem, quam adhuc legimus, perquam commoda conclusio, adiunctis tamen quibusdam sane nouis (v. 14 — 17.) Christianae mentis laudibus, quae viam sternunt auctori ad rem peculiari tractatione maxime dignam, quam suo loco indicabimus. Admonitio haec est: Ἄρα — ζῆν! Atqui ergo, fratres, (iidem, quos VII, 1. et 4. hoc blando nomine appellauerat, tali admonitione praecipue egentes) debentes sumus non carni, vt secundum carnem viuamus (i. e. vitam degamus; vbi haec suppressa sunt: „ἀλλὰ τῷ πνεύματι, τοῦ κατὰ πνεῦμα ζῆν," alioquin enim οὐ ponendum erat aliter, tum etiam hoc confirmat proxime sequens „πνεύματος" commemoratio)! Cui admonitioni statim hoc additur pondus, sumtis quidem ex priori oratione verbis: Εἰ — ζήσεσθε. Quodsi enim secundum carnem vixeritis (quod quid sibi velit, paene piget afferre denuo!), morituri estis (in quo iam infelicitatis idea praecipua est, cf. Bar. IV, 1.); sin vero spiritu (i. e. vi spiritus di-

νατοῦτε, ζήσεσθε. Ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ θεοῦ. Οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας, πάλιν εἰς φόβον; ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν:

vini saepius et hic quidem ita appellati, vt rei potius, quam personae nomen esse videatur, quotiescunque appelletur etiam personaliter) facinora corporis (i. q. „τῆς σαρκὸς" i. e. praua i. q. „τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν" VII, 5.) morti tradideritis (quo „ἀποθανοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ" sec. VI, 2. cf. Col. III, 5.), victuri estis (i. e. eritis beatissimi). Nunc illa noua adnectuntur Christianismi praeconia. Ὅσοι — συνδοξασθῶμεν! Quicumque enim spiritu (cf. de „πνεύματι" notata ad v. 13.) Dei aguntur (i. e. agi sese patiuntur; cf. Gal. V, 18., vbi, quibus hoc tribuatur, vide!), ii sunt Dei filii (i. e. dilecti Deo, qui illos tanquam paterno amore amplectitur; nomine quidem ex V. T. sumto, vt fere Christianorum omnia, et sane illo Iudaeis, falso id iactantibus, detracto). Non enim accepistis (quum Christiani fieretis) spiritum seruilem (i. e. qui seruilem, meticulosum et abiectum animum erga Deum in vobis vel excitaret, vel amplius esse pateretur; cf. 2 Tim. I, 7.) ad metum rursus habendum (quo ad Iudaismi pietatem illis et nostris quoque temporibus trepidulam, hocque non magis, quam superbo erga gentes animo, seruilem, respici, quis non intelligat? cf. Ebr. II, 15.); sed accepistis spiritum liberalem (ad verbum: „spiritum adoptionis" s. „filiationis," qua vulgo Iudaei, quasi vnici filii Dei, gloriabantur, i. e. spiritum, qui sensus vobis instillet filiis Dei dignos, adeoque pietatem tribuat, vt plenam bona erga Deum fiducia, ita li-

„Ἀββᾶ, ὁ πατήρ!“ Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ. Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι, κληρονό-

beraliter spontanea virtute illum colentem), quo repleti vociferamur (i. e. forti tum animo tum voce precantes (cf. Gal. IV, 6.) exclamare solemus): „Pater! o pater!“ (quod vocabulum ego non interpretandi, sed notionis intendendae caussa, tanquam non satis esset, vna tantum lingua, profana potissimum, Deum „patrem“ appellari, duplicatum puto, quum haec non gentilibus scriberentur maxime, sed Iudaeis aramaea vocabula intelligentibus;) nisi quis dicat, apostolis, fere cum Ethnicis agentibus, hanc quasi sollemnem extitisse formulam, vt quam Marc. XIV, 36. ipsi Iesu attribuerit per incuriam.). Ac ipse ille spiritus (v. 14. et 15. appellatus) testatur nostro spiritui (i. e. nobis; vt planum sit, illud „πνεῦμα“ per se ab homine diuersum, cumque eo vero coniungendum esse. Sensus autem est: Christianos vi et ope spiritus diuini sibi tributi — quo sane omne virtutum beatitatisque genus eis tributum est — conscios illius suae „υἱοθεσίας“ fieri.), nos esse Dei liberos. Quodsi vero liberi (sumus Dei, sumus) etiam (nam est hoc liberorum) haeredes (rursus iudaica appellatio! cf. IV, 13. Gal. III, 29.); et haeredes quidem Dei (i. e. quibus quasi haereditario iure certa est a Deo speranda beatitas; cf. Gal. IV, 7.), cohaeredes autem Messiae (ecce, quanta Christianorum et salus et dignitas!); quandoquidem vna (cum Messia, qui sic demum haeres Dei ipse factus est; cf. Phil. II, 6—11. 1 Petr. IV, 13. Ebr. II, 9. 10.) mala patimur (i. e. calamitates quascunque religionis caussa ferre solemus, in quo est nostra cum Messia, per ar-

μοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ· εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν! —

Λογίζομαι γὰρ, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δό-

dua ad astra euecto, similitudo), vt etiam (olim) vna (cum eo) potiamur gloria (i. e. gloriosa felicitate)! —

Inciderat, vt videtur, in hanc calamitatum Christianis propriarum mentionem apostolus verba scribens: „συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ," ex quibus haec felicitatis post infelicem huius vitae sortem futurae ipsi exorta esset cogitatio. At enim hae nimirum erant calamitates, quae Iudaeis, faustissima quaeuis a Deo, et per Messiam praesertim, exspectantibus maximae poterant esse offensioni, quo minus euangelii doctrinam veram ac diuinam, ideoque mente studiosissima recipiendam tuendamque, crederent. De his igitur P. restabat dicere, vt totam illius caussam prorsus defenderet; ne has quidem veritati illius diuinitatique aliquid detrahere, id erat ei perspicue docendum, et, quam fortiter et magnifice posset, profitendum atque praedicandum; quod proxima periodo (VIII, 18—39.) ita praestitit, vt vix esset, quod lectores etiam hac parte in se euangelioue suo adhuc quidquam requirerent. Incipit autem a laude felicitatis Christianos, non tam mortuos, quam potius a I. M. olim in terram redituro receptos, manentis, quam primum vniuerse laudat vt maximam, ita etiam certissimam. Λογίζομαι — ἡμᾶς. Etenim ego censeo, mala, quae nunc temporis incidunt, non tanti esse, vt comparentur gloriae (et felicitati), cuius nobis (εἰς ἡμᾶς, hebr. עָלֵינוּ) futura est manifestatio (de phrasi cf. Gal. III, 23., de re c.

ξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Ἡ γὰρ ἀπο-

c. 2 Cor. IV, 17.). Deinde statim hanc vniuersam laudationem confirmat exornatque afferenda re specialiori, quae quis sit, ab interpretibus adhuc quaeritur. Equidem ne longior sim enumerandis diiudicandisque quibuscunque explicationibus loci obscurissimi mihi cognitis, ex omnibus, quas hucusque viderim propositas, duabus fateor ita me nunc quidem favere, vt vtram vtri praeferendam putem, fere nesciam. Quarum altera est, quae „naturam rerum" a P. „κτίσιν" (nam in hoc maxime vocabulo omnis loci inest obscuritas) appellatam vult, altera vero, quae „nationem iudaicam quae qualisque tum erat, quum haec scribebat apostolus." Iam quin illa possit „κτίσεως" nomine appellari, adeo nemo graece doctus dubitaverit, vt, hoc solo iudicandi momento si ducamur, haec vtique significatio habenda sit caeteris omnibus probabilior; neque vero, quo minus eam interpretationem huic nostro loco inferentibus, — qui multi sunt, — adstipuler, impedior eo, quod nimia videatur audacia, qua P., non poëta, sed scriptor epistolae, vsus fuerit, a natura rerum tota Christianorum beatitatem illam magnificam olim futuram exspectari eamque interim vanitati se subiecisse atque hoc in statu misero gemere et grauiter dolere dicens, quum partim tam late patentem eam, quam nunc et nouimus patere et imaginamur, auctor, neque geographus neque astronomus nostratibus similis, sine dubio non cogitauerit, partim vero idem, quamuis non poëta, tamen hic cum affectu loquens prophetas suos, eiusmodi picturis plenos, imitari potuerit. Similiter autem nec in altera ex allatis explicationibus vsum loquendi desideraueris, si memineris, partim Iudaeos in V. T. (cf. e. c. Ps. C, 3. Ies.

XLIII, 7. XLIV, 2. LXIV, 8. 9.) praecipuo sensu id sibi tribuisse, se esse „creatos" a Deo, tanquam partem quum naturae rerum, tum humani generis, longe praestantissimam, partim hoc ipso ex V. T. fonte sacro P. nostrum accommodasse nomina „κτίσις" et „Ποίημα," quae synonyma sunt, alterum 2 Cor. V, 17., alterum autem Eph. II, 10., Christianis appellandis, quibus vulgo apostoli veteres gentis suae laudes addicere solebant; neque magis huic explicationi, quam priori, repugnare aliquis dixerit vel contextum orationis vel scriptoris consilium. — Attamen sunt quaedam, quibus attentius consideratis ad hanc posteriorem accipiendam animus aliquanto fieri possit propensior; quae statim afferam. Sunt igitur haec: 1) vocabulum κτίσις idem de eadem re loco haud multum extenso quater repetitum, quod, si de natura rerum s. mundo diceretur, facillime cum aliis (e. c. „κόσμος, τὰ πάντα") permutari poterat; sin de re, quam ipse P. vellet esse obscuriorem, — qualis natio tum temporis iudaica erat, quam nimirum ille nomine tectiori appellabat, ne talia de ea proponens Iudaeos, lecturos hanc tum sibi tum gentilibus exhibitam epistolam, apertiori offenderet, — prudentius idem semper data opera retinebatur; vt taceam, naturam rerum si appellaret apostolus, haud dubie „πᾶσαν κτίσιν" eum statim appellasse ab initio; 2) verba: „καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις," quae satis luculenter significare videntur, non vniversitatem mundi, cuius pars et ipsi Christiani „τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες" essent, sed genus quoddam rerum creatarum esse, de quo haec iam dicat apostolus; et 3) quod omnia ea, quae de „κτίσει," saepius appellata, hic enunciantur, multo facilius et planius de populo, qui tum erat iu-

υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται. Τῇ γὰρ ματαιό-

daico, quam de rebus mundi cunctis, plurimam partem ratione et vita adeo carentibus; possunt intelligi. Ergo igitur, quemadmodum apostolus alias (1 Thess. II, 14 ss.) Christianos Macedoniae, miseriis propter religionem tolerandis pressos, consolatur exemplo simili eorum, quos in Palaestina haberent et fidei et calamitatum socios, ita et h. l. Christianis, olim Iudaeis, ob religionem mala quaeuis saltim metuentibus, ex hoc solamen quaerit et accommodat, quod eiusdem beatitatis, quam ipsi exspectarent, desiderium summum et fere anxium teneret totam ipsorum nationem, nationem illam quidem Deo ob maiores acceptissimam et haud dubie, si recte sperarit, adepturam ea, quae Deus ipsi quondam sanctissime promiserit. Quam vero aptissimo orationis tenore fluentia, hac nostra interpretatione suscepta, reperturi simus ea, quae statim hac periodo absoluta sequentur, suo rursus loco monebitur. Haec igitur nunc auctor, nobis quidem iudicantibus, dicit his: Ἡ γὰρ — νῦν. Namque (ostendit his apostolus tum stabilitatem, tum splendorem, spei christianae, quae eadem sit populi totius sancti et vnice diuini habiti, Iudaeorum) spes et exspectatio (cf. Phil. I, 20.) creaminis (quo insolentiori vocabulo equidem Pauli in dicendo quaesitam insolentiam imitari volui) (nihil aliud, nisi) manifestationem (eandem illam v. 18. denotatam, cf. Col. III, 4. i. e. qua manifestabitur salus et gloria) filiorum Dei (i. e. Christianorum, secund. VIII, 14. 16. quo hic respicitur) opperitur. Vanitati enim (i. e. cultui religioso vano, inutili atque spem „δικαιοσύνης" misere fallenti, cf. XI, 7. i. q. „ματαίᾳ θρησκείᾳ," vt Iac. I, 26. loquitur. Sic etiam P. 1 Cor. XV, 17. „μα-

τητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ. Οἴδαμεν γάρ, ὅτι πᾶσα ἡ

ταίαν πίστιν" dicit i. q. „κενὴν," cf. Tit. III, 9.) creamen se submisit (et adhuc submissa manet; eodem vocabuli sensu, qui in re contraria est X, 3.) non voluntarium (i. e. non quasi ipsum creamen hunc maxime cultum temere sponte sua susceptum mera animi pertinacia retineat; quo prudenter auctor excusat Iudaeorum in tuendis ritibus suis tam insignem perseuerantiam, quam illis a se exprobratam Christiani haec lecturi, quippe et ipsi natu Iudaei, facile iniquo animo ferre potuissent), sed propter eum, qui submisit (i. e. Deo sic volente (cf. IX, 19. coll. ibi praecedentibus), cuius in ea re sapiens consilium P. prodit XI, 11. 25. 26. 31.; qui tamen eos illi submisit et submissos esse patitur) cum spe (s. ad spem nobis, Christianis nempe, maxime natis Iudaeis, faciendam), fore, vt etiam ipsum hoc creamen (cuius nominis repetitio facit, vt ne Griesbachii Knappiique admittendam putem parenthesin!) (non minus, quam nos iam liberati sumus) liberetur aliquando (cf. XI, 25. 26.) a seruitute („δουλεύει" enim Hierosolyma secund. Gal. IV, 25 coll. v. 24. seruili suo cultu legi Mosaicae praestito) exitiabili (i. e. nil nisi minas habente poenasque afferente diuinas, quas „θανάτου" nomine P. alias complecti solet; nam φθορὰ est i. q. „θάνατος" cf. Gal. VI, 8.) ad libertatem gloriosam filiorum Dei (i. e. ad liberalem Dei colendi modum, cum spe felicitatis gloriosae (de qua cf. V, 2.) coniun-

κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑ-

ctum, qui continetur euangelio; cf. Gal. V, 1. 2 Cor. III, 17.). Satis enim constat (ne forsan lectoribus dubium suboriatur; genti iudaicae falso ab Apostolo spem et exspectationem melioris conditionis omnino tribui), totum illud (non enim otiatur articulus!) creamen (i. e. Iudaeorum, vbicunque versantium, nationem omnem, multis magnisque ex Romanorum dominatu malis laborantem) vna (nobiscum Christianis) gemere vnaque cruciari hoc adhuc tempore (nondum igitur Iudaeos, quamdiu iam de meliori fato sperauerint, voti factos esse compotes, qui etiam vix, apostolo quidem iudice secund. XI, 7. coll. 2 Cor. III, 14 — 16., ea, qua adhuc irent, via ad speratum scopum peruenturi essent). At enim concedit auctor, in malis esse non solum nationem iudaicam omnino spectatam, sed Christianos quoque, quamuis ex illorum legali seruitute liberatos, de quorum nempe calamitatibus h. l. dicturus fuerat potissimum. Οὐ μόνον — ἡμῶν. Verum enim vero (non hi solum, sed) et ipsi primitias spiritus (q. d. primam messem fructuum, quos spiritus diuinus per euangelium solet edere, cf. Gal. VI, 8.) nacti (Christiani, similiter appellati a Iac. I, 18.), et nos ipsi („inquam;“ vt planum sit, quos illos „τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντας“ dixisset) apud nos (animo, quamquam non verbis expressis, quippe laudem ὑπομονῆς christianae sectantes) gemimus (quod igitur vnum vocabulum στενάζομεν ad ἔχοντες et ἡμεῖς vnos eosdemque pertinet homines), filiorum statum (ex v. 15. repetitum nomen, sed h. l. cum respectu ad salutem futuram,

αὐτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν. Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν. Ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς; ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει? Εἰ δὲ, ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν, δι᾽ ὑπομονῆς ἀ-

cuius ille status spem exhibet, positum q. d. plenam et absolutam υἱοθεσίαν) opperientes, nempe exsolutionem (cf. Eph. IV, 30.) corporis nostri (i. e. vt e corporis vinculis eripiamur tandem; id quod Christiani sperabant in aduentu Messiae, sibi demum salutifero, euenturum; cf. 2 Cor. V, 1 — 10.). Quae quidem praesentium calamitatum olim demum auferendarum spes Christianis tolerenda, ne quem offendere posset lectorem, statim, quasi demonstraturus, aliter rem se non posse habere scilicet, addit: Τῇ — ἀπεκδεχόμεθα. In spem enim (i. e. ita, vt speraremus, non vt iam nunc salutem promissam acciperemus totam continuo, cf. 1 Cor. XV, 19. 2 Tim. III, 12.) saluati (sc. a Deo per I. M. ex misero religionis et animi statu, cf. Tit. III, 4 — 6. i. e. Christiani facti) sumus. Spes (metonymice dicta, vt Col. I, 5.) autem visa (i. e. spes visarum s. praesentium rerum, cf. 2 Cor. IV, 18.) non est spes (quippe quae semper absentia et futura spectat pro suo nomine); quod enim videt (et experitur, cf. Thren. III, 1.) aliquis, cur speret etiam? Quodsi vero (sicut revera est; ergo „quodsi" i. q. „dum") id, quod non videmus, speramus, cum (διὰ, vt e. c. XIV, 20.) patientia (id) opperimur (vt ante dixi, q. d. quod erat demonstrandum!). Maximum autem et prorsus singulare Christianis solatium praebet in malis fortiter et quiete perferendis spiritus sanctus, ipsis pro-

πεκδεχόμεθα. Ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα, καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν; ἀλλ' αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. Ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας οἶδε, τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ὅτι

prius, quod solatium iam laudat apostolus. Ὡσαύτως — ἁγίων. Praeterea (plane vt in ep. Ierem. 22. 28. 35., hebr. יחד) autem spiritus etiam adminiculatur nostras infirmitates (i. q. nos infirmos et abiectos ex nostris infortuniis, cf. 2 Cor. XII, 10.) Quid enim potissimum (τὸ fere abundat, vt 1 Cor. IV, 6. Luc. I, 62. XXII, 4.) precemur, ita vt debeamus (i. e. quod cum Dei voluntate satis conueniat), nescimus (saepe nimirum affectu ex malis collecto alio, alio autem mente erga Deum pia nos ferente); verum (tunc quidem) ipse ille spiritus intercessorem (quasi) agit pro nobis (sc. apud Deum; quod ipse P. dein monet) tacitis (i. e. quibus desit oratio) gemitibus (paullo ante designatis per verba: „ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.“ Sensus igitur animi malis affecti verba non habentes certa, quum et ipsi incerti sint, pleni pietate et ὑπομονῆς studio, ad spiritum diuinum auctorem referuntur, quibus ille velvti miserorum Christianorum caussam agat apud Deum ratione quidem optima et acceptissima). Ille autem, qui mentes peruidet (nempe Deus omniscius, cf. Apoc. II, 23. coll. e. c. Ier. XX, 12.) scit, quid sentiat (s. „velit“) spiritus (in nobis praesens agens; quo differt igitur hoc „φρόνημα τοῦ πνεύματος“ ab illo v. 6. appellato aliquantum), quippe qui apud Deum (cuius nimirum est ille spiritus, vt ergo Deus, quid hic si-

κατὰ θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ

bi velit, prorsus scire possit. κατὰ θεὸν ne secund. 2 Cor. VII, 10. verterem; contextus dissuadebat.) pro sanctis (i. q. Christianis) intercedit. Quid autem multis longisue solatiis opus sit Christianis, quamuis indignissime a fortuna habitis, quum ipsi sint maxime, quibus Deus faueat semper vt suis? Haec fere praemittenda sunt cogitatione iis, quae nunc sequuntur. Οἴδαμεν — ἐδόξασε. Certi autem sumus, in iis, qui Dei amantes sint (qui h. l. Paulo boni Christiani sunt sine dubio), omnia (etiam mala grauissima; de malis enim Christianorum hac in periodo sermo est) conferre ad statum optimum, vt qui sint ex proposito (Dei) vocati (sc. ad salutem per I. M. accipiendam; adeo vt nullum queat esse dubium, quin Deus illos, siue Iudaeos genere, siue Ethnicos, summopere amet ac tueatur). Quos enim ille (Mirum est, quod P. omiserit nomen Dei, per affectum, vt videtur!) ante (i. e. ab aeterno inde) sibi elegit (vt XI, 2.), eos ante destinauit quoque (in hoc nempe), vt essent consimiles (cf. Phil. III, 21.) imagini filii sui (i. e. vt simili, atque ille, vterentur rerum facie et fortuna, nimirum vt „συμπάσχωσι, ἵνα καὶ συνδοξασθῶσιν" secund. v. 17.), vt ipse (tanquam) primogenitus (hebr. בכר Exod. IV, 22. i. e. filius nobilissimus, et caeterorum fratrum dominus, cf. Col. I, 15. 18.) esset inter multos fratres (qui Christiani sunt). Iam vero quos (Deus) ante (sic) destinauit (Scilicet caeteris mortalibus omnibus, idque pro arbitrio, reiectis ac damnatis? Bona verba, quaeso! P. enim, vbique ex praesenti consilio iudican-

εἰς ἀγαθόν; τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. Ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. Οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε; καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν; οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε. Τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα?

dus scriptor, meliora illis et sciuit et docuit, e. c. 1 Tim. II, 4. IV, 10., h. l. autem ad Iudaeos iudaice locutus, re ipsa tamen minime hac Dei aeterna „προθέσει“ illos adiuuit, sed oppugnauit potius, si conferas e. c. 2 Tim. I, 9. Tit. III, 4—7.), eos vocauit (i. e. declarauit sortis ipsis destinatae participes, cf. Ies. XLI, 9. XLII, 6.) etiam (quibus et sequentibus cunctis Christiani describuntur verbis, tam multis et splendidis, vt firmissimum spectabilissimumque lectoribus redderetur, eos a Deo nunquam non amari atque maxime curari; singula haud sunt premenda, quippe rhetorica quadam gradatione, non cum subtilitate dogmatica, sic iuncta et coaceruata, Deo quidem omnino omnis Christianorum felicitatis auctore certissimo ἀνθρωποπαθῶς laudato.); quosque vocauit, eos probatos etiam (sibi) praestitit; quos autem praestitit probatos, eos gloriosos quoque (i. e. gloriosae felicitatis olim percipiendae spe plenissimos) reddidit. Ac nunc quidem auctor ex his facit conclusionem. Τί — χαρίσεται? Quid igitur ad haec? Si Deus pro nobis (sc. est; quod nimirum totum ex ante positis sumitur iam vt certissimum), quis (possit esse) contra nos (quum Deus sit potentissimus, cui nemo repugnaturus par sit)? Qui quidem sui ipsius filii (ἰδίου ha-

Εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν? Ὅσγε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται? Τίς ἐγκαλέ-

bet, opinor, aliquid ἐμφατικὸν!) parcus non fuit (haec expressa ad Gen. XXII, 12.!), sed pro nobis eum tradidit (in mortem) omninibus (Ethnicis non minus, quam Iudaeis, cf. X, 12.), quomodo (ille) non etiam cum eo (i. e. eo nobis concesso) omnia (nempe bona, quae Deus habet, omnia; πάντα alludit τῷ: πάντων!) nobis donaturus sit? Quam vero conclusionem iam variis, idem semper referentibus, quaestionibus, rei grauius dicendae caussa, illustrat et exornat. Τίς — „σφαγῆς?" Quis (tandem, quaeso, mortalium) in ius vocauerit (tanquam de crimine nouae religionis susceptae ac defensae) electos Dei (i. q. „οὓς προέγνω θεὸς," nomen iudaicum ad Christianos translatum, de quo cf. e. c. Ies. XLV, 4.)? Deus (ipse) eos (tum) probauerit (i. q. absoluerit, „würde sie für unschuldig erklären." Quin enim in his etiam, cum Griesbachio et aliis, quaestionem agnoscam, impedior eo 1) quod nimia tum videtur h. l. quaerendi ratio, 2) quod sensum verborum quaerendo non intendi, sed remitti extenuarique potius, lusu ironico addito, crediderim, et 3) quod locum nostrum reor ab auctore assimilatum ei, qui habetur Ies. L, 8. 9.)! Quis (adeo eos) condemnauerit? Messias (praesto est, pro illis) mortuus, immo vero etiam resuscitatus (id quod moriendo praestat eo, quod viuens plus valeat quisque, quam moriens, cf. V, 10.), qui praeterea ad dextram sedet Dei (i. e. regni eius socius est igi-

σει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ? Θεὸς ὁ δικαιῶν! Τίς ὁ κατακρίνων? Χριστὸς ὁ ἀποθανών; μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς; ὅς καὶ ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ; ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν! Τίς ἡμᾶς χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ? Θλῖψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα — καθὼς γέγραπται: „Ὅτι ἕνεκέν σου θανατούμεθα ὅλην τὴν ἡμέ-

turque ad iuuandos suos potentissimus), quique etiam pro nobis intercedit (cf. Ebr. VII, 25. 1 Ioh. II, 1. i. e. nobis adhuc semper amicissimus curam apud Deum gerit nostri studiosissime, similis in hoc, vt in aliis, Mosi cf. Exod. XXXII, 30 ss.)! Quis („autem quidue;“ τίς enim hoc ex praecedentium versuum similitudine fluxit, ad huius loci necessitatem interpretandum.) seiunxerit nos ab amore (nempe „erga nos,“ pro toto id quidem contextu et praesertim propter v. 37. et 39.!) Messiae? An („forsan;“ haec enim diserte aptissimeque continuatur quaestio, quae continuatio eiusdem formae orationis a verbis illis: „Θεὸς ὁ δικαιῶν“ etc. multum differt, nihil ironiae referens.) afflictio, an res angustae, an persecutio, an fames, an nuditas (cf. 1 Cor. IV, 11.), an periculum, an gladius (i. e. nec ea patiendi necessitas) — secundum illud (ex LXX. interpret. Ps. XLIV, 23. (22.) sumtum) scripturae: „Propter te (quod apud P. eodem iure ac sensu ad Deum Messiamue retuleris) morti (i. e. mortis periculo) tradimur omni die (i. e. mortis periculo) tradimur omni die (i. e. semper, hyperbolice dictum!): habiti sumus (i. e. tractamur) pro sa-

ραν; ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς —?“ Ἀλλ᾽ ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. Πέπεισμαι γὰρ, ὅτι οὔτε θάνατος οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε δυνάμεις,

ginato ad mactandum peçore?“ — Ac tandem totam hanc de malis Christianorum nihili faciendis orationem sic cum affectu concludit. Ἀλλ᾽ — ἡμῶν! Immo vero (tantum abest, vt his rebus aduersis vincamur deprimamurque, vt potius etc. Sic ἀλλὰ adhibetur I Cor. X, 20., suppressa negatione praeuia.) in his omnibus (si nobis cum iis, quasi hostibus, confligendum fuerit) longe victores (animo prorsus bono nilque de amore erga nos Dei dubitante) sumus (nisi forsan: „fuerimus,“ coniunctiuo verbi νικῶμεν admisso?) per eum, qui nos amauit (s. „a quo nos amatos scimus,“ nempe per I. M., quippe in quo nos amante amet nos ipse Deus, secund. v. 39.). Persuasum enim est mihi (de me et vobis, quibus haec scribo, — quibus P. subinde ostendit, se virtuti pietatique ipsorum confidere, cf. XV, 14.) nec mortem nec vitam (in quibus momenti grauissimi rebus, quasi personis validissimis, nil nisi virium summarum ad aliquid efficiendum cogitatio h. l. quaerenda est), nec angelos nec principatus (quod ipsum quoque angelorum nomen esse videtur), nec praesentia nec futura (vim temporum), neque potestates (i. e. vlla aliqua mortalium potentia), nec alta nec profunda (quasi vim spatiorum, cf. Eph. III, 18. Ies. VII, 11.), neque quidquam aliud praeterea (vnde satis liquet, nominibus illis omnibus, mirabili congestis varietate, nihil de-

οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ, τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ κυρίῳ ἡμῶν! —

scribi, nisi vniuersitatem rerum, quamquam in singulis appellandis, quid spectaret potissimum, P. non defuisse, opinari deceat; cf. 1 Cor. III, 22.) valiturum esse nos seiungere ab amore Dei, exhibito (nobis, vtut pressis omni malorum terrestrium genere, porroque exhibendo, cf. V, 8.) per Messiam Iesum, nostrum dominum! —

Sic igitur caussa euangelii optima optime non exposita solum atque laudata, sed defensa etiam et ab omni aduersariorum culpa expurgata, P. rursus poterat in his, quae hucusque dixerat, acquiescere, si rem spectaret, de qua, non personas, ad quas haec omnia scriberet. Atat Iudaei erant, quibuscum ipse Iudaeus nunc ageret! His ne sic quidem satis putabat factum apostolus in re ipsis iure quodam suo iniucunda, ne dicam odiosa. Damnari enim eius doctrina et oratione videbatur horum non lex tantummodo patria, diuina illa et sacrosancta habita, sed cum hac simul totus, ex quo ipsi erant, populus, Deo carissimus, immo inter omnes vnice dignus Dei fauore adhuc aestimatus, idque per Messiam maxime. Non poterant non quaerere tales epistolae Paulinae lectores: qui tandem fieri diceres, vt vera esset doctrina religionis, qua quicquid adhuc semper praestantiae fuisset genti iudaicae, subito prorsus a Deo ipso sublatum pronunciaretur, ita vt iam omnium omnino gentium plane eadem esset, re ad Deum relata, conditio; et quis tandem esset iste Messias gentium aliarum om-

Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ; οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν

nium potius, quam suae, certe non huius, vt deberet, solum? Cui quaestioni, per se mere iudaicae, auctor nunc cc. IX et X. occurrit disputatione iudaeis forsan mentibus tandem aliquando plene satisfactura, praesertim quum dein c. XI. id etiam curet; vt in Gentilibus Iudaeorum contemtum, si qui adesset, fortiter deprimat. — Proxime autem sequens oratio ab animi vehementissimo erga populares amore affecti significatione, qua Paulo vel ad suae ipsius personae ex evangelio defenso inuidiam depellendam opus erat, sic incipit: Ἀλήθειαν — σάρκα! Vera ego loquor per Messiam (i. q. „ita me iuuet Messias!" quamquam haec formula minus sollemnis esse videtur ea, quam adhibitam legimus 1 Tim. V, 21., conferenda illa potius cum 2 Cor. XI, 10. et XII, 19.); haud ego mentior, testimonium mihi ferente per spiritum sanctum mea conscientia (Ad sic enim iungenda haec verba adducor 1) eo, quod P. nusquam per Spir. S. aliquid vel iurauerit vel pronunciauerit omnino, qui admoneat quidem XV, 30. „διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ," sed „διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος," non per ipsum hunc spiritum, et Phil. I, 19. certo speret nonnisi „διὰ τῆς ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος τοῦ Χριστοῦ;" 2) quod haec duo: ἀλήθειαν λέγω, et: οὐ ψεύδομαι ad tautologiam quasi emphaticam etiam 1 Tim. II, 7. copulentur; 3) quod multo expeditius fiat, vt verba: „συμμαρτυρούσης — ἁγίῳ" explices i. q. συμμαρτυροῦντος μοι διὰ τῆς συνειδήσεώς μου πνεύματος ἁγίου, coll. VIII, 16., quam coniungas: „οὐ ψεύδομαι ἐν πνεύματι ἁγίῳ," pluribus quidem verbis interiectis et paene inepte, quum „ἔν τινι ἀλήθειαν λέγειν" dicatur conuenien-

πνεύματι ἁγίῳ, ὅτι λύπη μοι ἐστὶ μεγάλη καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου! Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθημα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα; οἵτινές εἰσιν Ἰσραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία

tissime, minime vero: „ἔν τινι οὐ ψεύδεσθαι" q. d. non per aliquem mentiri.), esse mihi magnam tristitiam doloremque, animo meo nunquam cessantem (qua de re, non addit, vt solemus eum summo affectu loquentes quae tamen res ex sequentibus facillime potest cognosci)! Nimirum ego optauerim (deest „ἄν," vt 2 Cor. XI, 4.), vt ipse (verba: αὐτὸς ἐγὼ non minus ad εἶναι, quam ad ηὐχόμην referenda!) a Messiae excludar societate (et salute, quae in ea habetur, i. q. „καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ" Gal. V, 4.) pro (i. e. si hoc saltim modo prodessem ad bona euangelii paranda) fratribus meis, cognatis mihi naturae vinculo! At quae qualis haec, dixerit aliquis, se ipsum deuouendi pro aliis dementia! Scilicet, si verba singula ad rigorem veritatis quieto interpreteris animo! Quis autem hoc faciat in oratione feruente affectibus? Nihil aliud denique verbis suis, profecto per se absurdis, dicit auctor, nisi hoc: Extrema ego sim passurus, si meos possim, qua maxime volo, beatitate afficere! Quod quis est, qui in illo vituperet merito? Cf. Exod. XXXII, 32. Erat autem consequens huic affectui, quo iam ferebatur, amoris συμπάθειας, vt statim, quas haberet, summas gentes suae laudes praedicaret. Sic igitur pergit: Οἵτινές — Ἀμήν! Qui quidem Israelitae (nomen apud suos dignissimum! cf. v. 6. XI, 1. 2 Cor. XI, 22.) sunt, quorumque est titulus filiorum (Dei, coll.

καὶ ἡ δόξα καὶ αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, ὧν οἱ πατέρες καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα! Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, Θεὸς, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶ-

e. c. Exod. IV, 22.) et gloria (quam plerique volunt esse hebr. שכינה cf. e. c. Exod. XL, 54., nescio, annon pro hoc contextu angustius) et foedera (sc. cum Deo; plura enim ex V. T. monumentis referri poterant) et legis codex (cf. 2 Macc. VI, 23.) et cultus sacer et promissiones (sc. diuinae, plures et numero et tempore), quorumque (porro) patriarchae (Abrahamus cum filio, nepote et forsan quoque pronepotibus) sunt, et ex quibus (sc. Iudaeis. Difficile dictu fuerit, cur Lutherus illud καὶ omitteret, in quo tamen rursus consentit cum versione german. vetere ad II, 7. appellata) Messias (ipse) pro naturali quidem origine! O laudes (gratesque) agamus (nos Iudaei nostro) Deo, omnium (rerum personarumque) celsissimo! Agamus, inquam! — Doxologiae a me expressae hos habui caussas: 1) quod ferant eam verba auctoris, coll. Eph. IV, 6. 2) quod hoc finale Ἀμὴν i. q. „Fiat hoc!“ semper sit in votis, quale vero non reperietur h. l., verbis ad vocabulum Χριστὸς relatis; 3) quod nomen Θεὸς P. Messiae nec vsquam praeterea tribuat, quem a Deo saepius distinguit potius e. c. 1 Cor. III, 23. VIII, 6. 1 Tim. II, 5., et nostro in loco statim eodem „Θεοῦ“ nomine Deum appellet, non Messiam; 4) quod doxologiae Deo dictae locus commodus sit, si cogites, P. loqui animo per sensum harum rerum gentis suae sanctarum vividiorem ad summam pietatem excitato, cf. 1 Tim. I, 16. 17., vbi etiam subitus a I. M. ad Deum trans-

νας! Ἀμήν! — Οὐχ οἷον δὲ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. Οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ

itus fit; 5) quod ne admissa quidem vulgari interpretatione verba κατὰ σάρκα satis conueniens habeant oppositum, in quibus ipsum τὸ additum (cf. Act. II, 30., si certa lectio) videatur denotare, P. nihil h. l. illis voluisse opponere, quod sane nec per se erat necessarium. — Ergo tot tantasque auctor agnoscit in populo suo excellentias. Quid igitur? Num Deus illum iam prorsus deseruerit? Neutiquam; sed potest intelligi quodammodo, qui factum sit, vt manente Dei fide tamen non omnes Iudaei bona ab eo promissa, immo pro his potius alii multi ex caeteris gentibus, acceperint. Ita sentiens P. pergit, sedatiori iam animo lectoribus, quod opus esset, propositurus: Οὐχ — Ἰσραήλ. Neque vero fieri potest, vt dicta (sc. quibus iudaico, tanquam peculiari Dei populo, bona quaeuis promissa fuerunt, igiturque ὁ λόγος i. q. promissa, synecdochice) Dei facta sint irrita (ἐκπίπτειν, vt hebr. נָפַל e. c. Ios. XXI, 45. cf. 1 Cor. XIII, 8.). Etenim (i. q. „nimirum," cf. XV, 27. Est autem haec rei Iudaeis iudicibus insolentissimae explicatio, a P. exhibita!) non quicunque ex Israele (Iacobo cf. Gen. XXXII, 28.), hi Israelitae (hoc sancto nomine digni, cf. Gal. VI, 16.) sunt. Quid est ergo, quod ad explicandum P. profert? Nempe hoc: Non qui appellantur Israelitae, quia Israelis posteri sunt, vel omnes vel soli pro geminis Israelitis habendi sunt, ita vt vere dicere possis, Deum promissa seruasse Israelitis, dummodo non de iis, qui sunt ortu et nomine, sed qui reuera sint intelligas, quos P. Gal. VI, 16. vocat „ „τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ." Cur vero et quomodo hoc ita se habet? porro quaeri poterat. Et nobis quidem

Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραήλ. Οὐδ᾽ ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραὰμ πάντες τέκνα, ἀλλ᾽: „ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα;" τουτ᾽ ἔστιν, οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα.

id quaerentibus P. sine dubio respondisset: quia Deus ortum et nomen in homine beando non respicit, sed mores et animum, coll. II, 26 — 29. Aliter autem respondendum putavit idem forsan quaesituris suis popularibus, nempe sic: Deus enim nec olim, V. T. tempore, in proauis nostris solum ortum et nomen respexit, sed, prout voluit, hos patriarchae filios probauit, reprobauit illos, quod igitur et nunc in nostratibus fieri videmus, nec tanquam nouum et inauditum mirari debemus. At enim hoc ipsum responsum de Israele, quem — propter nomen Israelitarum, gentis suae augustissimum, paulo ante vsurpatum — appellaverat, minime confirmare potuit ex sacro codice, quum huius quidem filii omnes Deo fuissent probati. Aliis igitur ad confirmandum opus erat exemplis, quae Abrahami Isaacique historia praebebat. Hinc auctor, quasi prorsus simile poneret illi, quod iamiam posuerat, pergit: Οὐδ᾽ — τέκνα. Nec quoniam sunt proles Abrahami, omnes (illius gemini) filii (ideoque bonorum ei a Deo promissorum haeredes) sunt; hoc enim facillime poterat confirmari dicto biblico, et statim sic confirmatur: ἀλλ᾽ — „σπέρμα," sed (sc. „ita habet scriptura," Gen. XXI, 12.): „in Isaaco proles tibi vocabitur" (i. e. sed Isaacidae erunt filii); quod illico apostolus pro suo vtique consilio explicat: τοῦτ᾽ — σπέρμα. Quod sic intelligendum est: non qui filii naturales (cuiusmodi Abrahamo fuit e. c. Ismael, quibus naturalibus filiis dein opponuntur „τὰ

Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος: „κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός.“ Οὐ μόνον δέ; ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, Ἰσαὰκ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν. — Μήπω γὰρ γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακὸν (ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος) ἐῤῥήθη αὐτῇ: „Ὅτι

τέκνα τῆς ἐπαγγελίας," vt Gal. IV, 23., qualis vnus ex Abrahami filiis Isaacus, de quo etiam cf. Gen. XV, 4.), iidem filii (et haeredes ex iudicio et voluntate) Dei sunt, sed, qui ex promissione (diuina) filii sunt, ii (verbis illis V. T.) prolis (genuinae) loco censentur. In quibus quum promissio, ἐπαγγελία, commemorata esset, statim ad hoc defendendum vocabulum addit: Ἐπαγγελίας — „υἱός." Promissionis enim verba (i. e. verba, quibus aliquid promittitur, „Verheissungsworte") haec (ex Gen. XVIII, 10. nec secund. LXX., nec satis accurate, expressa) sunt: „Ad illud tempus veniam tumque habebit Sara filium." Quum autem simile quid illi, de Abrahamo narrato, immo hoc speciosius, de Isaaco quoque dici posset, id P. libenter arripiens pergit: Οὐ μόνον — „ἐμίσησα." Neque vero hoc solum (ita accidit in Sara); sed Rebecca etiam, ex vno eodemque illa grauida (quod in Sara hactenus aliter se habuit, quatenus ea non duos ex eodem patre filios peperit diuersae sorti a Deo destinatos), Isaaco (nempe), patriarcha nostro (sc. „similem illi priori promissionem accepit;" quae verba ipsa, vel huiuscemodi, P. hic omisit dicere, subito ad sequen-

ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι!“ καθὼς γέ-

tia abreptus, quae iudicaret esse momenti maximi, quibusque illa omissa dein, sed mutata orationis constructione, expressit.) — nondum enim (haec igitur attulerunt auctori ἀνακόλουθον simile illi, quod V, 12 ss. legitur, quatenus et hic, vt ibi, explicandi caussa a recto dicendi tramite abstractus est) natis (sc. illius filiis, notissimis; nam „κοίτην ἔχουσαν“ i.e. quae nondum peperisset, Rebeccam dixerat, apte quidem ad Gen. XXV, 23 ss.) neque (nempe ideo, quia nondum nati erant) exsecutis aliquid bonum malumue — vt (nimirum; legenda autem haec vsque ad καλοῦντος in parenthesi sunt!) illud ex delectu (i. e. liberum s. arbitrarium) propositum (de quo iam VIII, 28. dictum erat) maneat (i. e. valeat s. stet, sicut „stare“ dicimus sententiam), non ab operibus (quo ἔργων vocabulo Iudaismum denotari, quis non videat?), sed a vocante (s. destinante, Deo) pendens — dictum est (Gen. XXV, 23. secund. LXX.) illi (Rebeccae): „Maior natu (filius; de hoc enim P. agit, non de populis, qui in Genesi videntur significari) seruiet minori!“ En igitur diuersam filiorum eiusdem patris matrisque, immo eiusdem partus, conditionem, sic vtrique pro arbitrio a Deo tributam atque designatam! Quae res tam praeclare faciens ad P. consilium statim alio V. T. loco confirmatur: quemadmodum (alibi etiam, nempe Mal. I, 2. 3. secund. LXX.) habet scriptura:“ Iacobum (ipsum; de ipsis enim filiis Isaaci, non de posteris eorum P. loquitur) amaui (sc. „olim;“ Deus enim apud prophetam pristina haec affert), Esauum vero odi.“ — At haec ipsa profecto habebant, quae lectorem sobrius cogitantem possent offendere. Et

γέγραπται: „Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα." — Τί οὖν ἐροῦμεν? Μὴ ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ? Μὴ γένοιτο! Τῷ γὰρ Μωϋσῇ

sane P. a Christianis quoque interpretibus duplici modo male intellectus est; aliis verba eius pro eo, quod sonant, accipientibus, qui absolutum aliquod decretum praedestinantis Dei, monstrum doctrinae euangelicae, inde depromserunt; aliis vero, scilicet vt illorum errorem et effugerent et refutarent etiam, eadem apostoli verba mitius, quam ipse intelligi sine dubio voluit, explicantibus, qui nec de filiis Isaaci ipsis, sed de posteris eorum, neque de statu horum omni, sed de externo solum et terrestri eum loqui iudicarunt. Verum autem hoc est: P. voluit maxime demonstrare, quod verba eius produnt, eorundem patrum filios diuerse, idque nil meritos, a Deo fuisse habitos et tractatos omnino; voluit autem hoc quidem non nobis, nec vt doceret, quid de Deo in vniuersum credendum esset, sed Iudaeis, lectoribus suis, et his, vt persuaderet, non esse nouum quidquam mirabileue, quod iam in reprobanda aliqua gentis suae parte fieret, quippe cuius similia in sacra historia facta sint, quae ab ipsis negari nequeant, Deumque igitur sibi in ea re, quamuis insolentiori, constare optime. — Attamen his quoque lectoribus existimauit vlterius euincendum, a Deo, si ita agatur pro arbitrio, non agi iniuste, quod facile vel Iudaeis in mentem venire poterat. Pergit igitur: Τί — Θεῷ? Quid igitur? Nonne haec iniustitia in Deo est (sic, vt nunc narratum est, agente)? Quod negat formula sua apostolus! Μὴ γένοιτο! Absit hoc! et quo iure neget, statim addit, — nobis quidem minime, opinor, satisfaciens, sed suis tamen lectoribus, quibus sanctissima erant ipsius Ie-

λέγει: „Ἐλεήσω, ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω!“ Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὔτε τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ. Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ: „Ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.“ Ἄρα οὖν, ὃν θέ-

houae verba iamiam afferenda, quique de illius plane regia potestate sic iudicare solebant, de quo cf. e. c. Sap. XI, 21 ss. XII, 12 ss.: — Τῷ — „οἰκτείρω!“ Ad Mosen (legatum illum suum prae caeteris insignem, quocum praesens loqui dignatus sit) enim (Deus, Exod. XXXIII, 19. sec. LXX.) dicit: „Gratiosus ero, cui ego voluero; miserebor, cuius ego voluero!“ Vnde P. haec concludit: Ἄρα — θεοῦ. Atqui igitur (vt aliquis beatus viuat per Deum) non est desiderantis nec currentis (i. q. laborantis, anhelantis, metaphora a stadiodromis ducta, cf. e. c. Phil. II, 16.), sed gratiose agentis Dei.

Dein pergit in sua ante positorum confirmatione, alio loco sacro in auxilium vocato: Λέγει — „γῇ.“ Porro enim dicit scriptura (i. e. Deus in scriptura, Exod. IX, 16. sec. text. hebr.) Pharaoni: „In hoc ipsum seruaui (sc. viuum i. q. non dudum, quod poteram, perdidi) te, vt ostenderem in te (diu affligendo et tandem perdendo) meam potentiam, vtque (ex hoc) nomen meum vbicunque terrarum celebraretur.“ Quae quam digne indigneue de Deo dicta essent, quid P. interfuit curare, dum suo inseruirent optime consilio? Nam statim rursus ex his concludit, quod probare voluit: Ἄρα — σκλη-

λει, ἐλεεῖ ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει! Ἐρεῖς οὖν μοι: Τί ἔτι μέμφεται? τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε? Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ, ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ? Μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι: Τί με ἐποίησας οὕτως? Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι ὃ μὲν εἰς τιμὴν

ρύνει. Atqui igitur, quem vult, gratiose tractat (sc. Deus, cuius nomen et hic et postea pro affectu loquentis aptissime reticeri videmus), quem vult autem, obdurat (i. e. reddit contumacem; quod quum non satis commode oppositum τῷ: ἐλεεῖ, patet, ex historia Pharaonis (cf. e. c. Exod. IV, 21.) esse desumtum, vt „ἐλεεῖν" ex illa de Mose historia, ad quam verba v. 15. allata pertinent)! At haec erant durissima vel ipsis iudaeis mentibus; id quod P. sic exponit: Ἐρεῖς — ἀνθέστηκε? Inquies igitur mihi: Quid (i. q. cur) ille (cum Iudaeis nempe quasi sibi immorigeris) expostulat etiam? Quis enim nomini eius restiterit? (i. e. Nonne Iudaei, euangelio inobedientes, sine culpa sunt, quos Deus ad non obediendum destinaverit scilicet?) Respondet autem ad haec quoque apostolus, quamquam nec hoc profecto, nisi ad Iudaeorum de Deo sentiendi consuetudinem. Μενοῦνγε — θεῷ? At tu quidem, o homule! quis (cum despectu dictum, vt Exod. III, 11. Act. XI, 17.) es, qui contra Deum disputes (hebr. ענה Hiob. XVI, 8. XXXII, 12.)? Quod quanti momenti iam haberi voluerit auctor, statim, re verbisque ex prophetis V. T. e. c. Ies. XXIX, 16. sumtis illustrans, expromit. Μὴ — ἀτιμίαν? Num figlinum figulo dixerit: quid me

σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν? Εἰ δὲ θέλων ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς, κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη

sic (nec aliter) formasti? Annon habet luti potestatem figulus, vt ex eadem messa formet aliud vas destinatum vsui honesto, inhonesto autem aliud? Et haec nunc ad rem, de qua agit, accommodat. Εἰ — δόξαν Quodsi vero volens Deus ostendere iram (i. e. poenas grauissimas) et spectandam praebere suam potentiam (Sumta haec ex locis v. 17. et 15. adhibitis!) multa cum animi lentitudine tulit („vt sic dicam," ad rerum illarum fictilium similitudinem) vasa (quamquam hoc vocabulum solet de personis etiam dici e. c. Act. IX, 15. 2 Tim. II, 21. Ies. XIII, 5.) irae (i. e. ad iram Dei experiendam formata, igiturque), praeparata illa ad perniciem (quo sane ἀπωλείας vocabulo, ad tacite denotandos Iudaeos adhuc contumaces facto, turbatur allegoria!), atque vt (hic auctor excidit constructionis ordine!) spectandas praeberet opes (i. e. magnitudinem, metaphora apud P. frequenti) suae gloriae (quae esset in benefaciendo) in (benigne tractandis) vasis clementiae (i. e. ad Dei clementiam fruendam formatis, nempe Christianis, igiturque iis), quae destinauerat ad gloriam (i. e. gloriosam felicitatem). — Nam et haec ἀνακολούθως, immo etiam perplexe, dicta, quis neget, nisi iusto gratiosius de P. dictione iudicans? Qui quidem error, vix paucis verbis, quid demum desit, exponentibus corrigendus, auctori ex affectu (audacter

ἐλέους, ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν — οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς, οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν; ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει: „Καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου, καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην; καὶ ἔσαι, ἐν τῷ

enim loquebatur), aut inde forsan, quod haec non ipse scribebat, sed per alium scribenda dictabat, natus esse videtur; properabat autem ille ad scopum, statim adiiciens: οὓς — ἐθνῶν! quos (s. „quales," caeteroquin allegoria iam prorsus neglecta, quae non οὓς sed „ἃ" postulabat) nos quoque vocauit (i. e. inter quos, ad gloriam illam destinatos, nos quoque, nempe lectores cum auctore, I. M. professores, esse Deus voluit), non solum e Iudaeis, sed etiam ex Ethnicis! Ac hinc subito transit ad loca sacra, id, quod iam breuissime, potissimum verbis vltimis: „ἀλλὰ — ἐθνῶν" indicasset, pluribus et, quia sanctis, minus, quam sua, offensionis habituris proferens: ὡς — „ὡμοιώθημεν!" quemadmodum etiam in Hosea (i. e. Hoseae libro prophetico, II, 25. (23.) nec secund. LXX.) nec sec. hebr. prorsus, et II, 1. (I, 10.) secund. LXX. et hebr. ferme, quamquam a propheta quidem de omnibus aliis, quam de Christianis e gentibus adducendis, vt hic a P., prolata) dicit (sc. Deus, ex v. 22. repetendum vocabulum!): „Vocabo (sensu simili illius, qui fuit in: „ἐκάλεσε" v. 24. cui vocabulo etiam in: „κληθήσονται" videtur alludere) populum (adhuc) (non meum (qui Paulo sunt Ethnici) meum populum (nomen olim Iudaeorum solemne!) et non amatam (nationem, apud prophetam Israeliticam, ethnicam quamcunque apud apostolum) amatam (sc. vocabo); et (hinc alter locus prophetae inci-

τόπῳ, οὗ ἐῤῥήθη αὐτοῖς: οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ θεοῦ ζῶντος!" Ἡσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ: „Ἐὰν ἦ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται! Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ; ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς!"

pit) fiet, vt eo loco (apud prophetam, vt videtur, terra Babylonica, in quam Israelitae fuerant inter Ethnicos translati, apud P. quaeuis terra Ethnicorum), quo dictum illis fuerit: vos non estis populus meus, ibi (ἐκεῖ abest a LXX. et textu hebr.) vocentur (s. nomen hoc ferant:) Dei viui (i. e. potentis, ex oppos. deastrorum, quasi mortuorum deorum quippe nihil potentium) filii" (quo et ipso nomine P. haud dubie denotari voluit Ethnico-Christianos)! Iesaias vero (c. X, 22. 23. secund. LXX. sed non prorsus) de Israelitis (sc. paucioribus tantum ad I. M., pro hoc quidem tempore, conuertendis, vt vult apostolus) clamat (voce lugubri et minaci quoque): „Numerus Israelitarum (LXX: „ὁ λαὸς Ἰσραήλ"), quando similis arenae maris (i. e. maximus et paene infinitus) fuerit (LXX: „γένηται" pro nostro: ἦ), reliquiae (i. e. pauci tantum, ex mente apostoli) saluabuntur (hebr. ישׁוּב, quod P. consilio repugnabat!); rem (λόγος i. q. πρᾶγμα, hebr. דָּבָר, quamquam hoc hic non legitur) enim (γὰρ abest a LXX.) perfecturus subitoque persecuturus (sc. „Deus est") cum probitate (i. q. veracitate); quoniam rem subito persequendam (quae Paulo est Christianismi propagatio) efficiet Dominus (Iehouah) in terra!" Et quemadmodum (respici hac con-

Καὶ καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας: „Εἰ μὴ κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν!"

Τί οὖν ἐροῦμεν? Ὅτι ἔθνη, τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην, δι-

nectendi formula videtur ad „ὡς" v. 25.) ante (loco, qui prior est illo, nempe I, 9. sec. LXX.) Iesaias dixit: „Si Dominus Sabaoth (LXX. certe retinent hebr. צבאות, tanquam in nomine proprio) non reliquisset nobis (Iudaeis, ex P. mente, iisque tunc temporis hodiernis) semen (i. q. „reliquias" sensu ante notato, q. d. frumenti copiam ad porro sementem faciendam, hebr. שׂריד כמעט, quod a LXX. „σπέρμα" translatum forsan Paulo, praeter: „ἐγκατέλιπε," simile τῷ: „κατάλειμμα," quod praecesserat, maxime, in h. l. placuit, coll. v. 7. 8.) facti essemus (quo P. dici vult: totam tum gentem suam carituram fuisse salute per I. M. speranda vnica). sicut Sodoma et Gomorrae similes!"

Postquam auctor haec his locis, sacris absoluit, audet iam de popularibus suis euangelio adhuc adversantibus apertius loqui et iudicare liberius; sed et hoc breuissime, ne nimium offenderet lectores ex eodem populo. τί — „καταισχυνθήσεται." Quid dicamus igitur (talia quum legamus et experiamur de nostra gente)? „Nempe hoc!" Ethnicos, non prosequutos (cf. Hos. II, 9. (7.)) probitatem (qua Deo probarentur, qualem nimirum Iudaei ex legis suae cultu quaesiuerant adhucque quaerebant), adeptos esse probitatem dico (non talem, qualem Iudaei amant, sed) quae ex fide est; Is-

καιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως; Ἰσραὴλ δὲ, διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε. Διατί? Ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου. Προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος; καθὼς γέγραπται: „Ἰδοὺ, τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου;“ καὶ: „πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται!“

raelitas autem prosequutos legem probitatis (i. e. quae factis praestanda Deo probari studerent, sed falso) ad (veram) legem probitatis (quam appellat nimirum euangelium, vt supra „νόμον πίστεως,“ ex vocabuli iudaici similitudine) non peruenisse. Cur vero? Propterea, quod non ex fide (sc. probitatem quaesiuerunt quaeruntque), sed ex operibus scilicet (de ὡς paene abundante cf. e. c. 2 Cor. II, 17. Philem. v. 14.) legalibus. Etenim (hoc de iis potest affirmari, idque quasi continuata τοῦ: „διώκειν“ et: „φθάνειν“ metaphora) impegerunt lapidi ad impingendum obvio (quibus verbis „τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ“ (Gal. V, 11.) et scandalum omnino vilioris, quam Messiae sui esse vellent, conditionis in Iesu fatis et persona deprehensum significatur); quemadmodum scriptura (Ies. VIII, 14. XXVIII, 16. quamquam non accurate vel ad LXX. vel ad hebr. text. verbis expressis) habet: „Ecce, pono in Sione (quod Paulo est i. q. inter Iudaeos) lapidem ad impingendum et rupem ad offendendum,“ atque: „omnis confidens ipsi (spectat P. ad „πίστιν“ in I. M. collocandam, modo commemoratam) haud pudore suffunde-

Ἀδελφοί! ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας καὶ ἡ δέησις, ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, ὑπὲρ αὐτῶν εἰς σωτηρίαν! Μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς, ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. Ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην, καὶ τὴν ἰδίαν ζητοῦντες στῆσαι, τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ

tur (i. e. spe sua falletur)!"

Sed quum haec animo, non satis amico suis, dixisse videri posset apostolus, rursus profitetur suum erga ipsos studium, ita tamen, vt mox redeat ad rem tractandam suam, nempe ad explicandum commendandumque euangelium, et tandem deueniat in loca sacra popularibus grauissima, ne dicam acerbissima. Sic prudens P. orationem fere vbique temperat et miscet pro suo vtique consilio. Iam igitur primum repetit quodammodo ea, quae IX, 1. profuderat. Ἀδελφοὶ — σωτηρίαν. Fratres (carissimi, populares mei)! desiderium quidem animi mei et preces (meae), ad Deum directae, pro illis (sc. sunt et valent) ad salutem (ipsis, et his quidem non nominatis propter affectum, facile tamen ex contextu intelligendis, optandam atque, si possim, impetrandam)! Quo impensi amoris affectu pergit: Μαρτυρῶ — ἐπίγνωσιν. Namque attestor (laudans, cf. e. c. Col. IV, 13.) hoc de illis, studio ipsos feruido moueri Dei (cf. Act. XXI, 20. XXII, 3.), modo non cum prudentia. Cuius ita moderatae laudis statim caussam affert: Ἀγνοοῦντες — ὑπετάγησαν. Ignorata enim (quae ignorantia valet ad illos accusandos, cf. Act. XIII, 27.) ea, quae Dei est (quo sensu, vide ad I, 17.), probitate, propriam (i. e. quae ipsis placeret, cf. Phil. III, 9.) vero ni-

θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν. Τέλος γὰρ νόμου Χριςὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιςεύοντι! Μωϋσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου „ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς!“ Ἡ δὲ ἐκ πίςεως δικαιοσύνη οὕτω

tentes ratam facere, probitati Dei (nomen cum emphasi iteratum!) non se submiserunt (quasi legi diuinae, cf. VIII, 7. i. e. mentem vitamque non addixerunt). Ac sic denique ad rursus edocendos in re euangelii lectores reductus primum addit: Τέλος — πιςεύοντι. Terminus (i. e. abrogator) enim legis (Mosaicae, qua abrogata demum Ethnicis aeque ac Iudaeis sperare licebat de Dei fauore, fide et virtute sibi parando) Messias est (in id), vt (nunc) probitas (qua Deo proberis) praestetur cuicunque (Ethnico non minus, quam Iudaeo) fidem exhibenti! Dein longiorem doctrinae suae confirmationem, lectoribus accommodatam iudais, ex V. T., immo ex ipso legis sacro fonte, Pentateucho; multa arte adhibita, profert. Μωϋσῆς — σωτηρίαν. Etenim Moses quidem probitatem ex lege (sumtam, cf. Phil. III, 9.) sic (Leuit. XVIII, 5. sec. LXX., loco in V. T. saepius repetito et tanquam sollemni) describit (γράφειν h. l. plane vt Ioh. I, 45., nostrum: „bezeichnen“): „Qui perfecerit ea (praecepta, a Mose l. c. ante appellata), ille ex iis habebit vitam beatam“ (in quibus momentum maximum inest vocabulo „ποιήσας,“ vt „ἐξ ἔργων δικαιοσύνη“ designaretur, cf. Gal. III, 12.)! Illa vero, quae ex fide est, probitas (tanquam persona eleganter inducta, forsan vt a Mosis „δικαιοσύνῃ“ legali haec distingueretur; nisi P. verbis: „οὕτω λέγει“ expresserit τὸ: „λέγων“

λέγει: „Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου: Τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν?“ — τοῦτ' ἔστι, Χριστὸν καταγαγεῖν — „ἤ: Τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον?“ — τοῦτ' ἔστι, Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. — Ἀλλὰ τί λέγει? „Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ

τῶν LXX.) ita (ex Deut. XXX, 12—14. nec τοῖς LXX., nec textui hebr. satis conuenienter) loquitur: „Ne cogites haec tecum:“ Quis ascendet in coelum (sc. ad inde petendam verae pietatis legem)? — quod Messiam (coelitus) deducere significat (quae P. interiecit, vt scires nempe, verba illa V. T. pertinere ad doctrinam de Messia, adeoque esse quasi „τῆς ἐκ πίστεως δικαιοσύνης“ vocem) — „aut (sc. „cogites haec;“ vt igitur illud ἤ etiam ad orationem „τῇ δικαιοσύνῃ“ a P. tributam referendum sit): Quis descendet (eodem illo legis vnice verae petendae consilio) in orcum“ (LXX. „τίς διαπεράσει εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης?“ cum hebr. textu consentientes; sed ad interpretationem et consilium P. de I. M. agentis magis faciebat, appellare „τὴν ἄβυσσον“)? — quod Messiam e mortuis reducere significat (quo igitur nec deducendo nec reducendo opus esse dicit ad discendam verae pietatis rationem, quippe fide, non experientia, percipiendam; nam quae „ex fide“ probitas, ea sola vera est, quam vlterius a P. loquentem inductam audiamus!). — Quid autem est, quod (illa) loquatur (et, quum ista vetet, iubeat) potius? (Haec nimirum:) „Prope te (attulit autem ex Deut. XXX, 14. haec P., prudenter, si ad LXX. respiceret, omissis iis, quae praeterea ibi apud eos leguntur, quae ne vix quidem in vsum suum trans-

καρδίᾳ σου!“ — τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως, ὃ κηρύσσομεν. Ὅτι, ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον, Ἰησοῦν, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ. (Καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην; στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτη-

ferre posset) sunt effata (i. e. praecepta de vera pietate praestanda) in ore tuo et in tuo animo!“ — quod significat (cf. 1 Petr. I, 25.) effata fidei (i. e. effata euangelii, fide accipienda, genitiuo τῆς πίστεως obiectiue intellecto), quae publice (ego, P., caeterique Christianismi doctores) tradimus. Quae tota apostoli interpretatio statim hac explicatione ab ipso confirmatur: Namquando professus fueris (quisquis sis, I. M. nomen daturus) ore tuo (per haec illa accommodantur: „ἐν τῷ στόματί σου“) dominum, (κύριος ad: „οὐρανὸν respicit appellatum) Iesum, atque confideris animo tuo (per haec illa: „ἐν τῇ καρδίᾳ σου“), Deum resuscitasse illum e mortuis (ἐκ νεκρῶν ad: „ἄβυσσον“), salute potieris (quam Deus Christianis largiturus est). — Animo enim (haec commodissime ponuntur in parenthesi!) confiditur (i. e. solet confidi, quum fides animi res sit; et confiditur quidem hic sc. „in euangelio“) ad probitatem (veram et Deo gratam adipiscendam), ore autem fit professio (i. e. solet fieri; et hic quidem sc. „a Christianis“) ad salutem (illi probitati consequentem, accipiendam; respondet autem σωτηρία antecedenti vocabulo: „σωθήσεται.“). — Haec igitur omnia eo pertinebant, vt ostenderetur, quam apte et merito illa sacri codicis dicta in descriptionem naturae Christianismi fuerint

ρίαν.) Λέγει γὰρ ἡ γραφή: „Πᾶς ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται!" Οὐ γάρ ἐςι διαςολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος. Ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν. „Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου, σωθήσεται."

conuersa. Iam vero rursus de fidei necessitate testimonium V. T., ante excitatum, repetitur ita, vt praecedentia verba: „πιςεύσῃ" et: „πιςεύεται" hunc contextum suasisse videri possint. Πᾶς — καταισχυνθήσεται. Dicit enim (vt supra iam monuimus, IX, 33.) scriptura: Omnis confidens illi pudore haud suffundetur!" Quo facto statim hoc vocabulum πᾶς quoque, (quod tamen in loco scripturae ne adest quidem!) quo referendum sit, monstratur. Οὐ—αὐτόν. Non enim (hic) discrimen est Iudaei atque Ethnici. Namque idem dominus (sc. est, quod P. sine dubio dicit de domino, I. M.) omnium (quo rursus respicitur ad illud: „πᾶς," de quo iam agitur), abundans bonis („χάριτι" potissimum) in omnes (conferendis), qui ipsum inclamauerint, (i. q. coluerint, cf. 1 Cor. I, 2. 2 Tim. II, 22. hebr. קרא בשם Gen. IV, 26. XII, 8.). Et rursus auctor, vocabulo: „ἐπικαλουμένους" admonitus, addit locum sacrum ex Ioel. III, 5. (II, 32.) sec. LXX., propter τό: „ἐπικαλέσηται" huc, pro ipsius nimirum interpretatione, facientem: „Πᾶς — σωθήσεται." Quicunque enim (ait scriptura) nomen domini (quem P. quidem Messiam vult intelligi) inclamauerit, saluus erit" (i. e. aeterna fruetur beatitate per I. M. adipiscenda, ex P. nempe sententia). In quo loco vtendo paulo longius haeret apostolus, quia τό: „ἐπικαλεῖσθαι" praeclaram ipsi occasionem praebebat ad necessitatem euangelii,

Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται, εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν? πῶς δὲ πιστεύσουσιν, οὗ οὐκ ἤκουσαν? πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος? πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι? Καθὼς γέγραπται: „Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρή-

doctrinae per legatos (ἀποστόλους) palam praedicandae, eoque a iudaica religione diuersae, quodammodo euincendam. Πῶς — ἀποσταλῶσι? Quomodo igitur (quod P. ex illo loco putat concludendum) inclamabunt (nempe saluandi illi a propheta dicti, qui vero ex P. interpretatione sunt beandi per I. M.), cui non confiderint (fiet enim inclamatio nonnisi cum fiducia scilicet); quomodo auten confident, de quo non audiuerint (nam non audito, ignoto igitur, ne poterunt quidem confidere); quomodo autem audient sine praedicante (auditur enim auribus ideoque tantum, quod ore prolatum fuerit); quomodo autem praedicabunt (sic ad praedicandum destinati, quicunque sint), nisi legati fuerint. En igitur P., ad „ἀποστόλους“ homines euangelio proprios, tandem suis conclusiunculis delatum, quorum mentionem non poterat non adiuuare loco sacro atque commendare. Καθὼς — „ἀγαθά!“ Quemadmodum habet (Ies. LII, 7. nec LXX. nec textui hebr. satis conuenienter) scriptura: Quam pulcri (sunt) pedes afferentium laetum nuncium (εὐαγγελιζόμενοι ergo sunt, quos ante „ἀποσταλέντας“ dixerat, nempe „legati euangelii!“) pacis (quae in euangelio quoque inerat, coll. V, 1.), afferentium (inquam) laetum nuncium bonarum rerum (felicitatis, puta, per I. M. partae!“ Iam denique auctor etiam hac sua periocha, quamuis

γην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά!“ Ἀλλ᾽ οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ. Ἡσαΐας

ab amoris erga Iudaeos testificatione coeperat, ad eosdem excurrit carpendos; ita tamen, vt interim per occasionem euangelii caussam stabiliat. Ἀλλ᾽ — ἀντιλέγοντα." At enim non omnes (quibus ille pacis et bonarum rerum nuncius allatus esset, nempe Iudaei, quibus primis praedicatum esset euangelium) auscultarunt (nec illi Iesaiae, nec nostro Christianorum, per interpretationem apostoli ex eius verbis expresso) laeto nuncio (εὐαγγελίῳ!). Iesaias enim (idem, qui illa dixerat, hoc etiam de istis querens, LIII, 1. sec. LXX.) ait: „Domine, quis fidem habuit doctrinae nostrae?" Quae statim P. arrepta in suum conuertit vsum: Atqui igitur fides ex doctrina (i. q. docendo, sc. nascitur; vt adeo recte, quia ad locum sacrum accommodate, „fidem" in re euangelii, quod idem „docebatur," laudari appareret), doctrina autem (vt illa Iesaiae, ita nostra) per effata Dei (quae in propheta oracula, in apostolis diuina I. M. dicta et praecepta sunt, sc. oritur). At forsan isti non auscultantes excusandi sunt? Quaerit hoc P., et respondet, ne nimium lectores offendat, locis sacri codicis. At vero: num (forsan) non edocti sunt (Sic interpretor, quia P. hoc ἤκουσαν sine dubio sumsit ex „ἀκοῇ," quod praecesserat)? Immo (sc. haec ipsis scripturae verbis, ex Ps. XIX, 5. sec. LXX. desumtis, licet respondere): „In omnem terram exiit eorum (in Psalmo operum Dei, apud P. apostolorum) sonus verbaque eorum ad orbis terrarum vsque terminos" (vt igitur plane potuerint omnes Iudaei audire de euangelio, si vellent). At vero: num (forsan) Israeli-

γὰρ λέγει: „Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν?“ Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς; ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ. Ἀλλὰ λέγω: Μὴ οὐκ ἤκουσαν? Μενοῦνγε: „εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν.“ Ἀλλὰ λέγω:

tae non agnouerunt (sc. veritatem euangelii)? Et id quidem maxime affirmandum putat auctor, sed nec hoc suis verbis, verum sacris, ita vt simul, quid euangelio ab Israelitis non agnito et accepto, sed neglecto reiectoque, ex Dei nimirum voluntate et diu ante capto declaratoque consilio factum esset, exponeret. Nam respondet: Primus (sc. omnium scriptorum genti nostrae sacrorum) Moses (iam) ait (Deut. XXXII, 21. sec. LXX., nisi quod horum „αὐτοὺς“ P. mutauit in ὑμᾶς): „Ego (Iehouah) prouocabo ad inuidiam (quae tamen apud Mosen aliter, aliter apud P. intelligenda est, coll. XI, 11.) vos (Iudaeos) in populo, qui non est (sc. populus; apud Mosen autem בְּלֹא־עָם eleganter respondet praecedenti בְּלֹא־אֵל, et P. accommodat illud nomen ad eos omnes Ethnicos, quibus euangelium adhuc esset exhibitum, id quod eodem a Iudaeis reiecto demum factum fuerat); in populo insipido (i. e. a cultu veri Dei alieno s. ethnico) vos irritabo (quod rursus aliter in Mose interpretandum, quam P. vult intelligi).“ Iesaias autem (LXV, 1. sec. LXX., sed phrasibus transpositis) audacter (quo P. se ipsum potius, quam prophetam, ibat excusatum) loquens: „Inventus (ego, Deus) sum, inquit, ab iis, qui me non quaesiuerant; apparui illis, qui mei studiosi non fuerant.“ De (πρὸς sicut e. c. Ebr. IV, 13.) Israelitis vero (sta-

Μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω? Πρῶτος Μωϋσῆς λέγει: Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς." Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει: Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι." Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει: „Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα —"

tim post illa LXV, 2. sec. LXX., nisi quod P. emphatice magis verba ὅλην τὴν ἡμέραν ab initio posuit) idem (et haec demum est ista in verbis propheticis audacia!): „Totum diem extendi manus meas ad populum immorigerum et obloquentem" — Caetera, quae apud prophetam l. c. a: „τοῖς — διαπαντός" leguntur, haud dubie nota lectoribus non minus, quam apostolo, hic prudens non apposuisse videtur, quamuis cum iis, quae apposuerat, loco et sensu coniunctissima.

Atque sic tandem sat verborum et ad euangelium contra Iudaeos defendendum et ad ipsos Iudaeos, adhuc incredulos, ob illud spretum reprobatumque vituperandos, auctor fecerat. Metuendum enim erat, partim ne exacerbaret gentem suam, haec lecturam, partim ne hac nimis oppugnata ac depressa Ethnici, quibus eadem reddenda erat epistola, P. duce et suasore in superbiam hominum dudum, antequam ipsi religionis communi professione illis iungerentur, a se despectorum, Iudaeorum dico, converterentur. Vtrumque autem P. consilio scribendi suo probe videbat esse contrarium. Tandem igitur mutandam putabat orationem; tandem Iudaeis, qui Romae Iesu Messiae nomen profiterentur, iucundiora quaedam dicenda,

Λέγω οὖν: Μὴ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ? Μὴ γένοιτο! Καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμὶ, ἐκ σπέρματος Ἀβραάμ, φυλῆς Βενιαμίν. Οὐκ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν

Ethnicis autem ea, quibus a superbia erga illos forsan subnascitura deterriti ad sibi gratulandum inducerentur, quod beneficio religionis Iudaeis proprio et ipsi digni a Deo habiti fuissent; tandem id, quam aptissime posset fieri, curandum, vt vtrumque genus Christianorum benignitatem Dei O. M. sapientissimam, in societate diuersissimorum hominum summe salutari constituenda spectabilem, ita agnoscerent laudarentque vt ipsi in eadem ecclesiae christianae societate apud se quoque firmanda omnibus viribus elaborare studerent. Haec secum reputans et sic animatus auctor noster iam quaerit: Λέγω — αὐτόν? Atqui ergo: Num (forsan; id quod ex ante citatis locis poterat videri P. esse sententia) repudiauit (cf. 1 Sam. XII, 22. Ps. XCIV, 14.) Deus suum (sc. omnino totum) populum? Ac respondet, vt solet: Μὴ γένοιτο! Absit hoc! caussa addita: Καὶ — Βενιαμίν. Etenim ego quoque Israelita sum, * (quod, quo grauius dicatur, his illustrat) ex posteris Abrahami, ex tribu Beniaminis (qui possim igitur, inquit, hoc contendere equidem, gentem a Deo esse reprobatam, ex qua ego, benignissime ab illo tractatus, ipse sim; quod argumentum sane tanto plus valebat apud P., quanto minus ipse fuerat per se, vt censebat, dignus illo Dei beneficio). Iam igitur hoc argumento posito fortius profitetur, quod erat profitendum. Οὐκ — προέγνω! Neutiquam Deus repudiauit, quem sibi dudum elegerat (ὃν προέγνω i. q. „αὐ-

προέγνω! Ἢ οὐκ οἴδατε, ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή? ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ: „Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, καὶ τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν; κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου.“ Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός? „Κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ.“ Οὕτως

τοῦ,“ quod praecesserat, ideoque illud, quum hoc et h. l. adsit, nil nisi illustrat; cf. VIII, 29.), populum! Sed tamen idem vberius ex sacro codice tractat, et ita quidem, vt in suam rem verba sacra adhibere posset. Ἢ — „Βάαλ.“ Anne vero ignoratis (i. e. Atqui cogitate, quaeso,), in Eliae historia (ἐν Ἠλίᾳ, sicut dicitur apud Suetonium: „in Nerone“ pro: „in vita Neronis;“ nisi malis; „ἐν τῷ“ esse i. q. „περὶ τοῦ“ coll. e. c. Phil. I, 30. sensu eodem) quid dicat scriptura, vt ille apud Deum contra Israelitas verba fecerit (dicens 1 Reg. XIX, 10. non sec. LXX.): „Domine (Iehouah!), prophetas tuos interfecerunt (sc. Israelitae, h. e. regni israelitici ciues, instigante Iesabele regina; quod in V. T. altero loco positum P. forsitan primo posuit ideo, quod habebat, quo referretur, nempe ad interfectum Iesum, Stephanum, Iacobum, et si qui praeterea e doctoribus euangelii iam tum per Iudaeos perierant) et altaria tua destruxerunt, atque ego relictus sum solus, cuius (non minus) vitae struunt insidias. „Verum enim quid respondet illi (ibidem v. 18., magis sec. hebr., quam LXX. a P. exhibitum) oraculum? (Nempe hoc:)“ Reliqui (s.

οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. — Εἰ δὲ χάριτι, οὐκέτι ἐξ ἔργων; ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις. — Τί οὖν? Ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραὴλ, τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν; οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν; καθὼς γέγραπται: „Ἔδωκεν αὐ-

asseruaui) mihi (ἐμαυτῷ in V. T. non adest, a P., vt videtur, additum, vt eo facilius posset ex verbo: „κατέλιπον" exsculpere suum: „λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος") septem millia hominum, qui non flexerunt genua Baali (τῇ Βάαλ ut "τῷ Βάαλ," quod h. l. habent LXX., dicitur promiscue sensu eodem, nisi quod illud ad deam refertur Phoenicum, forma vitulam, quam Lunam interpretantur, hoc ad deum, figura taurum, quem Solem). Quae loca P. iam suo more accommodat: Οὕτως — χάρις. Similiter ergo (vt illic Eliae tempore) et praesenti tempore reliquiae (λεῖμμα sumtum ex illo: „κατέλιπον") ex gratioso delectu sunt, quae quum ex gratia (quam quidem P. verbis „κατ' ἐκλογὴν χάριτος" suis loco illi sacro, si dicamus, quod verum est, adsuerat), iam (ἔτι paene redundat, sicut et nostrum: „iam") non ex operibus (sc. „λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν" s. „ἐκλεκτὸν") sunt; alioquin gratia non amplius esset gratia (nam quod gratia donat, non merces est, quae tribuitur operatis, cf. IV, 4.). Haec obiter et velut in parenthesi adiecta puta, quasi per occasionem denotaretur vera natura Christianismi Iudaismo oppositi. Nunc auctor rem suam agens, quam a principio periodi significauimus, pergit: Τί — ἐπωρώθησαν. Quid igitur? Quod (iam dudum et adhuc) anquirunt Israelitae, id non consecuti sunt (nempe „δικαιοσύνην,"

τοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.“ Καὶ Δαυὶδ λέγει: „Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς! Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν, τοῦ μὴ βλέπειν; καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διαπαντὸς

coll. IX, 31.); attamen qui ex delectu (ἐκλογὴ metonymice dicta pro „ἐκλεκτοῖς“), consecuti sunt; caeteri vero obstupuerunt (i. e. contumaces fuerunt et adhuc sunt; nisi potius: „excaecati sunt“ i. e. caecutiunt, nimirum mente et animo, cf. 2 Cor. III, 14. Iob. XVII, 7.). Cui rei statim ex nonnullis locis sacris additur pondus et confirmatio. Καθὼς — „σύγκαμψον.“ Quemadmodum habet (locis, vt videtur, a P. conflatis his duobus Ies. XXIX, 10. et Deut. XXIX, 3. (4.) scriptura: „Dedit illis Deus spiritum soporatum (qui Paulo esse videtur i. q. „πώρωσις,“ stupor), oculos, quibus non videant auresque, quibus non audiant, ad hunc vsque diem“ (quae ipsa verba sine dubio auctori exoptatissima tamen non ab hoc addita, sed ex loco Deuteronomii sumta puto). Ac Dauides ait (Ps. LXIX, 23. 24. (22. 23.) non prorsus sec. LXX.) „Fiat mensa ipsorum laqueus et decipula (quam θήραν vnde P. sumserit, nescitur, nisi si ex labili memoria) et offendiculum et retributio ipsis (i. e. inter dapes ipsos merita calamitas subito opprimat)! Obscurentur oculi eorum, vt non videant atque eorum tergum iugiter obcurues (i. e. fac, o Deus, vt semper malis pressi, quasi magno

σύγκαμψον! —“ Λέγω οὖν: Μὴ ἔπταισαν, ἵνα πέσωσι? Μὴ γένοιτο! ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Εἰ δὲ τὸ παράπτωμα

pondere decuruati, incedant)!“ — Iam vero apostolus se in viam reducit, a qua his minis et vero exsecrationibus contra Iudaeos incredulos adhibitis parumper deflexerat; nam nunc minus aduersum gentem suam, quam pro ea fuerat dicturus; id quod rursus facit sequentibus: Λέγω — αὐτούς. Atqui igitur: Num impegerunt (quod vocabulum respicere videtur ad modo dictum „σκάνδαλον“), vt caderent (i. e. Num Iudaei adhuc sunt increduli hoc Dei consilio, vt ipsi hac sua incredulitate sint alieni a I. M. eoque miseri, neque alio vllo praeterea?) Quod negat auctor: Μὴ γένοιτο! Absit hoc! Alioquin enim in ea re, nimirum a Deo sic vel ordinata vel permissa, nulla foret sapientiae diuinae significatio, quam P. statim miro facti interpretamento exhibet. Immo horum delicto salus Ethnicis (allata est), vt (hi Ethnici dein rursus) illos (Iudaeos incredulitate lapsos) provocarent (sc. ad aemulandum sibi in doctrina euangelii suscipienda; si vidissent, quantum salutis quanta mortalium adhuc ab ipsis contemtorum copia ex illa, quae sua ipsorum esset proprie, caperet). Quam cogitationem felicissime inuentam pluribus additis exornat. Εἰ — αὐτῶν! Quodsi vero casus (nempe incredulitas; manet autem in allegoria τοῦ: „πίπτειν“) eorum opes (i. e. prosperitas, salus, cf. Ebr. XI, 26.) hominum (gentilium), eorumque status exilis, (cf. 1 Cor. VI, 7., Ies. XXXI, 8.) opes Ethnicorum (sunt); quanto magis eorum omnibus nu-

αὐτῶν πλοῦτος κόσμου, καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτος ἐθνῶν· πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν! — Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν· ἐφ' ὅσον μὲν εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, τὴν διακονίαν μου δοξάζω, εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρ-

meris absoluta conditio (i. e. ea, qua olim omnes I. M. salute libenter recepta fruentur, sc. „erit Ethnicis salutifera“)! Nam sperabat apostolus, vt ex v. 26. patebit, fore, vt cuncti aliquando Iudaei, doctrina euangelii suscepta, bearentur, qua ex re sibi promisit statum christianae religionis apud omnes gentes florentissimum. His autem gentis suae praeconiis interiecit commemorationem Ethnicorum, ad quos hanc eandem mittebat epistolam, vt his fieret planum, nunc ad ipsos maxime orationem, monendi caussa, dirigi. Ὑμῖν—αὐτῶν. Ad vos enim (iam haec) loquor (et porro plura locuturus sum, i. e. Ad vos enim iam mea vertitur oratio) Ethnicos. Et sane auctor ad hos, quos mox erat admoniturus, conuertit se non sine quadam captatione beneuolentiae, quae haec est: Quandoquidem ego sum Ethnicorum apostolus (quem se praedicat saepissime in actis Lucae et suis epistolis, cf. XV, 16.), munus (hoc) meum laudo (i. q. laudare soleo, (vt „θύειν“ ponitur Marc. XIV, 12.) quod et h. l. verbis tum illis: „ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν,“ tum his: „πλοῦτος κόσμου, πλοῦτος ἐθνῶν“ iamiam fecerat), vt, si fieri possit, populares meos prouocem (ad euangelium pronius accipiendum, et id quidem via ante ad v. 11. designata) atque (sic) saluos praestem (i. e. beatos reddam per euangelium) ex iis (saltim) nonnullos. Haec igitur ad significandam mutationem personarum, ad quas iam

και καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. — Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ κόσμου; τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν! Εἰ δὲ ἀπαρ-

pertineret sua oratio, interposuerat. Nunc vero superiora, v. 12. dicta, rursus dicendo fortius confirmat. **Εἰ — νεκρῶν!** Quodsi enim (inquam) reiectio eorum (a Deo facta) reconciliatio (quasi receptio Dei in amicitiam sc. „est") hominum (quae minus valet, quam, quae sequitur, „vita ex mortuis," coll. V, 10.); qualis (i. e. quanti momenti res sc. „censeatur eorum") assumtio, nisi (tanquam) vita (recepta) ex orco (i. e. quasi omnium omnino gentium, peccatis veluti mortuorum, ad vitam euangelio accepto beatissime agendam reditus; cf. Eph. II, 1—6. q. d. „eine allgemeine sittlich-religiöse Auferstehung")! Nam Iudaeos iri adductum omnes ad I. M. tum denique v. 26. sperat apostolus, quum omnes Ethnici quoque ad eundem adducti fuerint, vt igitur illo tandem tempore totum genus humanum per euangelii doctrinam ex erroris vitiositatisque statu miserrimo ad laetissimam verae religionis pietatisque fortunam, quasi ex morte maxime lamentabili ad vitam vere vitalem, reuersurum sit. Nunc ista supra ab auctore praenunciata Ethnicorum sequitur satis longa et grauis admonitio. **Εἰ — ἐλαία.** Quodsi autem (haec iam vos cogitate, Ethnici, et probe perpendite!) primitiae (sic vocat, vt puto, Iudaeos iam conversos ad I. M. (vt alias primos ex aliqua gente Christianos eodem vocabulo, e. c. XVI, 5.), qui supra, v. 7., dicebantur „ἡ ἐκλογή;" nam de patriarchis hic cogitare, a contextu, ad Iudaeos conversos et conuertendos a v. 5—15. pertinente, alienum est.) sanctae sunt,

χὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα· καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι. Εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλά-

(profecto) est quoque (tota) massa (i. e. tota Iudaeorum natio; „ἀπαρχὴ“ autem et „φύραμα“ desumta sunt ex sacris Iudaeorum, coll. Num. XV, 17—21., quibus ipsis primitiis, vtpote cum oleo in sacrificiis offerri solitis, potuit auctor in cogitationem perduci oliuae, quam statim appellat, ad ea, quae Ethnicorum monendorum caussa dicturus erat, accommodatissimam); et si radix (nisi malis, quamquam sine necessitate: „stirps“ coll. Ies. XI, 1., sc. oliuae, quae iam hic menti auctoris obuersabatur, a Ieremia quoque XI, 16. adhibita imago gentis iudaicae) sancta est, sunt quoque rami (quae duo, radix et rami, eodem, quo ante primitiae et massa, sensu de Iudaeis conuersis et conuertendis dicta sunt). Quodsi vero quidam (vide, quam extenuet auctor rem sane praegrandem!) ex ramis (Iudaeis; quidem „defractos“ adhuc nondum conuersos, sed quasi a populo vere sancto exemtos, appellari, in plano est) defracti sunt (verba: κλάδοι ἐξεκλάσθησαν, paronomasiam faciunt latinis vix reddendam); tu vero, qui es oleaster (sic vocantur, vt liquet, Ethnici, ob minorem scilicet, quam qua sibi splendebant Iudaei, nobilitatem generis, si ad Deum respiceres), insertus es (quum tu, alienae gentis homo, accipereris in populi diuini societatem. Insitionem autem hic appellatam nunc quoque in Palaestina in vsu esse, testatur e. c. Schulze in libro: „Leitungen des Höchsten“ c. V. pag. 88.) inter illos (non defractos, sed omnino ramos i. e. Iudaeos) et particeps radicis et pinguedinis oliuae (i. e. bonorum, quae religio christiana, primum ac potissimum Iudaeis destinata, exhibet) factus

σθησαν, σὺ δὲ, ἀγριέλαιος ὢν, ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου, μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων; εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι, οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις, ἀλλ' ἡ ῥίζα σέ. Ἐρεῖς οὖν: Ἐξεκλάσθησαν κλάδοι, ἵνα ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ. Καλῶς; τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας: μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. Εἰ γὰρ ὁ Θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ; ἐπὶ μὲν τοὺς πε-

es, noli te iactare prae ramis (nempe Iudaeis omnino, quasi tu iam esses illis melior et Deo acceptior); qui si te iactes tamen, velim cogites, non a te ferri radicem, sed a radice te (i. e. non tibi propriam fuisse primum illam religionem, sed Iudaeis, a quibus ad te translata sit, ideoque tuam iactationem esse imprudentem ac temerariam). Inquies igitur (forsan): Defracti sunt rami (quidam ideo), vt ego insererer (ita, vt iam illorum nullus plane respectus amplius sit habendus). Bene narras (quatenus tu quidem refractis demum illis insertus es oliuae, quippe religione euangelica nonnisi a Iudaeis reiecta ad te translata Ethnicum; vt in actis Lucae legimus). (At enim) Per infidelitatem defracti sunt; tu vero per fidem stas (s. inhaeres sc. arbori oliuae). Ne (igitur) superbias, sed cum timore viuas (potius). Si enim Deus ramis, qui (tales) ex natura (non ex insitione i. q. oliuae proprii) sunt, non pepercit (Iudaeos nempe repudians incredulos,

σόντας ἀποτομίαν, ἐπὶ δὲ σε χρηστότητα, ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι; ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. Κἀκεῖνοι δὲ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται; δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτούς. Εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου, καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον; πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἱ κατὰ φύσιν, ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ? Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν,

quamuis Iudaeos, suum populum), („timendum est;“ „φόβου“ enim repetendum est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ), ne forte nec tibi parciturus sit (quantumuis iam inserto). Specta igitur (cogitabundus) et clementiam Dei et seueritatem; aduersus eos quidem, qui ceciderunt (cf. v. 11.), seueritatem, aduersus te vero clementiam, si quidem maneas in (i. e. si amplius te geras dignum) clementia; alioquin (cf. v. 6.) tu quoque exscinderis (bonis euangelii rursus excides). Illi autem, si non manserint in infidelitate, inserentur (bonis illis frui incipient, euangelio recepto); potis enim Deus (qui potest omnia, cf. XIV, 4.) est, eos rursus (nam olim fuerunt ex sancto populo) inserere (quantumuis improbabile forsan hoc tibi nunc videatur). Quodsi enim tu, ex eo, qui natura erat, oleastro exscisus praeter naturam (tuam, quum esses oleastri) insertus es oliuae generosae; quanto magis (i. q. facilius) hi, qui (ex hac arbore) natura sunt, inserentur oliuae propriae (cui nati sint)? Idem iam planius certiusque sine allegoria prodit apostolus. οὐ — σωθήσεται. No-

ἀδελφοὶ, τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν, ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰσέλθῃ; καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθή-

lo enim vos ignorare i. e. Peruelim enim probe a vobis hoc teneri ac perpendi), fratres (i. e. Christiani; nam appellat Ethnicos), hoc mysterium (i. e. hanc rem, per se nulli mortalium patentem, quippe a Deo sic pro sua singulari et, vt ita loquamur, priuata constitutam sapientia), ne (iusto magis) vobis ipsis sapiatis (revera autem et ex aliorum sapientiorum iudicio insipiatis, nempe superbiendo de vestra Christianorum fortuna cum contemtu Iudaeorum nunc a Deo reiectorum, cf. Prov. III, 7. Rom. XII, 17.): stuporem (nisi malis: „caecitatem," cf. v. 7. i. e. alienum a Christianismo animum) ex parte (rursus rem grandem nimis extenuat, vt v. 17. (Israelitis obtigisse, donec (i. e. tamdiu obtigisse et obtingere, quamdiu nondum) quantum satis (ex Dei consilio ac decreto) fuerit Ethnicorum (de formula cf. Gal. IV, 4. Luc. XXI, 24., de re 2 Cor. III, 14—16.), accesserit (εἰσέρχεσθαι sc. εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Χριστοῦ i. e. ad ecclesiam christianam, vt fere Luc. XI, 52. coll. Matth. XXIII, 13.; nisi forsan: „εἰσέρχεται" (sc. εἰς τὸν κόσμον, cf. 2 Joh. v. 7.) „τὸ πλήρωμα ἐθνῶν" sit vel i. q. „πληροῦνται καιροὶ ἐθνῶν" sec. Luc. XXI, 24. i. e. h. quidem l.: tempus Ethnicis (a Deo) destinatum (nempe per quod Iudaeis nondum cunctis sociis euangelio se addicant) venit, verbo composito dicto pro simplici ἔρχεσθαι, quod in phrasi simili habetur Gal. IV, 4., vel ex v. 12. „πληρώματι" explicito, i. q. „incidit status Ethnicorum florentissi-

σεται; καθὼς γέγραπται: „Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν." Κατὰ μὲν

mus;" attamen eodem haec omnia sensu! Modo ne quis verborum apostoli interpres, quo tandem tempore id, ab ipso hic praedictum, euentum sit habiturum, anquisiuerit.), sicque (i. q. tumque, cf. 1 Cor. XI, 28. XIV, 25. 1 Thess. IV, 17., nempe postquam pro Dei voluntate accesserit illud „πλήρωμα τῶν ἐθνῶν") omnes Israelitae fient salui! Quod auctor statim loco confirmat sacro: Καθὼς — „αὐτῶν." Quemadmodum habet (Ies. LIX, 20. non prorsus sec. LXX. et admistis: „ὅταν — αὐτῶν" ex Ies. XXVII, 9. per lapsum, vt videtur, memoriae) scriptura: "Veniet ex Sione (i. e. Hierosolymis, vnde crucifixus atque in vitam reuocatus I. M. — nam hic est sine dubio ille „liberator" ex P. sententia — venisse videri poterat) liberator (sc. toti genti iudaicae) et amouebit facta impia (eorumque poenas) a Iacobitis (i. e. facietque Deum ipsis propitium); idque (his verbis descriptum) est meum ipsis (promissum) foedus, (quod praestabitur) quando eorum peccata sustulero" i. e. ipsis remisero; διαθήκην autem hanc puto P. intellexisse Christianismi constitutionem, vt 2 Cor. III, 6. Gal. IV, 24., cuius quidem adeo propria est remissio peccatorum, vt vel remittere, vel continere peccata sit i. q. vel recipere in Christianorum societatem, vel ab ea abigere, e. c. Ioh. XX, 23.). Semper enim — haec his interserta puta! — Deus amat Iudaeos, quamuis adhuc male habitos, videlicet suum, antiquitus et constanter dilectum, po-

τὸ εὐαγγέλιον ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς· κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας. Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. Ὥσπερ γὰρ ὑμεῖς ποτε ἠπειθήσατε τῷ

pulum. Quare sic illi describuntur: Κατὰ — πατέρας. Qui quidem (Iudaei, vocabulo „αὐτῶν" iamiam denotati), quod ad euangelium attinet, hostes (sc. Dei i. e. odio a Deo habiti, quia ipsi Dei aduersarii sunt, q. d. mutua cum Deo vtentes inimicitia nam sensus mere passiuus vocabulo „ἐχθρὸς" nullo, quantum ego sciam, loco tribuitur;) sunt vestri caussa (i. e. vt vobis illud euangelium possit tradi, quod reiectis demum Iudaeis incredulis Ethnici acceperant adhucque accipiebant); quod ad delectum vero (i. e. quatenus sunt ex populo, quem olim Deus sibi peculiarem delegit, cf. v. 5. et e V. T. e. c. Leu. XXVI, 41—45. Deut. IV, 37.), dilecti (Deo) patriarcharum caussa (i. e. vt his, quae promissiones a Deo olim factae sunt, seruentur atque exhibeantur in posteris). Cuius rei hoc statim affertur pium argumentum. Ἀμεταμέλητα — Θεοῦ. Haud enim poenitenda (i. e. aeternum firmissima) sunt dona et vocatio (i. e. destinatio ad fortunam, laetam potissimum, cf. e. c. IV, 17.) Dei. Igitur in hac quoque caussa felicitatis per I. M. tribuendae Deus quamuis nunc videatur Iudaeos negligere plurima ex parte, tamen non negligit re vera, sed sane et hos, postquam iis ad tempus reiectis Ethnicorum salus perfecta fuerit, in gratiam recipiet; vt tandem vtrique hominum generi, Ethnicis Iudaeisque, illa salus moderamine sapientissimo exhibeatur. Ὥσπερ — ἐλεηθῶσι. Quemadmodum enim vos inobedientes

θεῷ, νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ· οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι. Συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς

Deo fuistis (idololatriae operantes), nunc autem misericordiam (Dei, euangelio donato) experti estis (ἐλεεῖσθαι proprium de Ethnicis in euangelicae felicitatis consortium recipiendis vocabulum est, cf. XV, 9.) per horum (Iudaeorum) inobedientiam (qua nimirum factum erat, vt rejectum a Iudaeis euangelium transferretur ad Ethnicos); ita hi quoque nunc inobedientes fuerunt (s. „manserunt," quatenus increduli), per vestri (ὑμετέρῳ obiectiue s. passiue dictum, vt 1 Cor. XV, 31.) misericordiam (quatenus Ethnicis per euangelium iam beatis „παραζηλοῦνται" ad illis aemulandum, cf. 11. 13.), vt (ἵνα transpositum, vt e. c. 1 Cor. IX, 15.) et ipsi experiantur (olim aliquando) misericordiam (quod de his quidem Iudaeis, quia immorigeri fuissent Deo, dici potuit eodem iure ac sensu, quo P. de se ipse adhibet e. c. 1 Tim. I, 13.). In qua tandem re commemoranda perorat P. hanc totam periodum, immo hanc totam partem epistolae theoreticam, partim omnia hucusque ab initio inde epistolae (I, 18.) longissime et multipliciter dicta verbis complectens his breuissimis: Συνέκλεισε — ἐλεήσῃ. Coniecit namque Deus vniversos (Iudaeos cum Ethnicis) in inobedientiam (i. e. voluit esse sibi inobedientes; iudaice dictum, qua rem, qua verba, quae proprie significant: „subiecit potestati inobedientiae" cf. Gal. III, 22. Ps. LXXVIII, 50.), vt vniuersorum misereretur! — partim autem doxologia addita,

πάντας ἐλεήσῃ! Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ! Ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ! Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου? ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ? Ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα! Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας! Ἀμήν! —

quae solet in fine collocari periochae, quaque h. l. laudatur summa illa, quae P. videbatur, Dei sapientia in Iudaeis Ethnicisque simul ad tempus ab ipso abiectis, vt suo tempore vtrosque, et quidem alteros per alteros, in gratiam reduceret suam. Ὦ βάθος — Ἀμήν! O profundas opes (i. e. o maximam illam etc.) sapientiae scientiaeque Dei! Quam imperscrutabilia illius sunt decreta (cf. Sap. XVII, 1.), ac viae (i. e. via ac ratio agendi) illius imperuestigabiles! Quis enim (hae duae quaestiones petitae sunt ex les. XL, 13. sec. LXX.) est, qui sensum Domini nouerit? Quis vero suasor (sc. consiliorum auctor, quippe quo Deus eget nullo) illi exstitit? Quis tandem (haec ex Iob. XLI, 3. sec. hebr.) ante illi dederat aliquid, cui esset retribuendum (nempe Deo potius pro arbitrio omnia, quia gratuito, constituente atque largiente)? Etenim ex illo, per illum (sc. sunt fiuntque; ἐξ autem et διὰ h. l. non video differre), ad illum (sc. directa sunt s. redeunt, nimirum Deo sic omnia ordinante et efficiente, vt, quod ipse velit, tandem certo eueniat) omnia! Illi gloria esto (i. q. laudes tribuendae sunt) in aeter-

Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ θεοῦ, παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ θεῷ;

num! Esto illi, inquam! —

Hactenus illa, quae docendi erant lectores epistolae, exque his Iudaei maxime, de tota vera ratione euangelii! Sequuntur monita a XII, 1. — XIV, 13., ad vitam pie sapienterque agendam pertinentia, varii illa quidem argumenti; ac pro more P., in caeteris quoque eius epistolis conspicuo, si spectes omnia, tum vero pro ea quae ipsi ex Romanorum statu Christianorum adesse videbatur, necessitate, si singula. Primum, quod continetur c. XII., communis est generis, nisi quod v. 3 — 8. ad concordiam inter sese colendam lectores exhortatur potissimum, qua videtur illis adeo fuisse opus tum temporis, vt adhuc forsan ne vnitatem quidem ecclesiae haberent satis stabilem, cuius apud illos efficiendae caussa scimus hanc totam maxime esse missam epistolam. Attamen etiam ad has suas admonitiones auctor non abrupte, sed sumto quodam ex proxime antecedentibus nexu transiit. Παρακαλῶ — τέλειον. Adhortor (et obtestor, cf. 2 Cor. X, 1.) igitur (οὖν innuit contextum orationis) vos, fratres (communi religionis professione; nam haec adhortatio ad Iudaeos Ethnicosque pariter referenda est), per Dei misericordiam (hebr. רחמים e. c. Ps. XXV, 6. i. q. „διὰ τὸ τοὺς πάντας ἐλεῆσαι τὸν θεὸν" sec. XI, 32.), vt offeratis (similitudine desumta ex cultu Leuitico, cf. 1 Petr. II, 5. Ebr. IX, 14.) corpora vestra i. e. personas vestras s. vos ipsos; accommodate ad sacrificii allegoriam dictum!) hostiam (θυσίαν singulari dicit numero, quia

τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν; καὶ μὴ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ἡμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς, τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Λέγω γὰρ,

non proprie, sed allegorice loquitur) viuam (i. e. viuendo s. vita agenda, non, vt in vulgaribus sacrificiis, necando moriendoque), sanctam, complacitam Deo (nisi malis: εὐάρεστον absolute dictum esse, sicut v. 2. et Tit. II, 9., vt τῷ „παραστῆσαι," cui fiat, ne desit, cf. VI, 13.) qui cultus sit vester rationalis (i. q. spiritalis, i. e. animo et moribus, non caerimoniis factisque ritualibus praestandus; „λόγος" enim est „νοῦς" cf. VII, 25. et XII, 2., et eodem sensu 1 Petr. III, 15. praecipitur: „κύριον τὸν θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν." Caeterum verba: τὴν — ὑμῶν a P. non satis convenienter ad Grammaticae regulas addita sunt.); neque conformetis vos ad huius genium seculi (cf. 1 Petr. I, 14.), sed vos transfiguretis potius innouata mente vestra, vt (probe) diiudicetis (studeatisque perficere), quid spectet voluntas Dei bona (i. q. sancta, cf. VII, 12. Matth. XIX, 17.) illa complacitaque et perfecta (videlicet multum diuersa ab ea, quam Moses olim diuinam voluntatem praeceptis suis ad externum religionis cultum paene solum pertinentibus prodidit). Magis ad rationes Christianorum, qui Romae erant, accommodata est, quae sequitur, admonitio v. 3—8., vt iam supra diximus. Λέγω — ἱλαρότητι. Dico enim (et edico) per beneficium muneris apostolici (quippe quo demandato summam Deus „gratiam," ipsi exhibuerat, cf. 1 Tim. I, 12—14.)

διὰ τῆς χάριτος τῆς δοθείσης μοι, παντὶ τῷ ὄντι ἐν ὑμῖν, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρο-

mihi (vel a Deo, vel a Messia, Dei loco agente) datum (i. e. dico ego non ex mea, sed diuina muneris mei auctoritate, cf. 1 Cor. III, 10.) cuicunque vestrum (Iudaeo Ethnicone), ne de se sentiat elatius, quam sentire par sit (ὑπερφρονεῖν et παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν sic iuncta pleonasmum referunt), sed sentiat ita, vt decet modeste sentientem, (quod, quale sit h. l., statim sequentibus dicitur luculentius) prout Deus cuilibet (vestrum) mensuram impertiit (cf. 1 Cor. VII, 17. 2 Cor. X, 13.) fidei (i. e. et ita sentiat pro ea quisque ratione, quae ipsi cum religione christiana intercedit, „ieder nach seinem von Gott ihm zugetheilten Verhältniss zum Christenthum;" πίστις autem est i. q. habitus mentis animique ad religionem spectans, quem nos diceremus „Religiosität, subiectiues Christenthum," quique non solum in Ethnico-Christiano multo alius fuit, quam in illis, qui Iudaei fuerant nec adhuc plane esse desierant, de qua re cf. c. XIV., sed diuersus etiam in vtrisque pro singulis singulorum ingenii dotibus et ad inseruiendum ecclesiae facultatibus, quas respiciens auctor potissimum h. l. pluribus verbis admonitionem suam exsequutus; cf. Eph. IV, 1—12.). Sicut enim in vno corpore multa habemus membra (similitudo apud P. saepius occurrens e.c. 1 Cor. XII, 12. ss.), omnia autem membra non idem habent negotium: ita nos multi vnum sumus corpus respectu Messiae habito (cf. 1 Cor. X, 17.), singuli autem caeterorum (quasi) membra (i. e. socii) omnium (καθ' εἷς hellenistice pro melius graeco: „καθ' ἕνα," sicut e. c.

νεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ἑκάστῳ ὡς ὁ θεὸς ἐμέρισε μέτρον πίστεως. Καθάπερ γὰρ ἐν ἑνὶ σώματι μέλη πολλὰ ἔχομεν, τὰ δὲ μέλη πάντα οὐ τὴν αὐτὴν ἔχει πρᾶξιν: οὕτως

3 Macc. V, 34. Marc. XIV, 19.); habentes quidem dona pro iis, quae nobis data sunt, (Dei) beneficiis (i. e. dotibus et facultatibus, indeque ecclesiasticis muneribus et negotiis) diuersa: siue prophetiam (i. e. donum et munus verborum in ecclesia faciendorum tanquam ex afflatu diuino, „das Talent und Amt eines begeisterten Gemeindesprechers" s. „Predigers," de quo plurima et splendidissima leguntur 1 Cor. XIV.), vt ex ratione fidei (i. e. secundum eam, quae nobis optima sit, religionis christianae scientiam, ideoque fere i. q. „κατὰ τὸ μέτρον τῆς πίστεως" ex sensu V. 3. nisi tamen praeoptanda sit significatio τῆς πίστεως obiectiua, vt P., quemadmodum 2 Tim. III, 15. vult Timotheum sapientiam sibi suisque salutiferam, ex V. T. percipere „διὰ πίστεως τῆς ἐν Χρ. Ι." i. e. ita, si V. T. effata ad euangelii naturam regulamque interpretetur, sic h. l. iubeat prophetas Christianos, quicquid loquantur, loqui certe „accommodate ad doctrinam euangelii.") agamus; siue munus ministri (ecclesiastici, de quo cf. e. c. 1 Tim. III, 8. ss.), vt praestemus ministrando (in id nimirum solum intenti toto animo); siue doctoris (qui rudes instituit Christianos, cf. 1 Cor. XII, 28.), vt docendo; siue (constituti a Deo) admonitores (sc. in ecclesia, cf. Act. XIII, 15. et forsan etiam extra illam; nam verbis: „παρακαλεῖν, μεταδιδόναι, ἐλεεῖν" non videntur significari munera publica et propria. Excidit autem auctor paulatim ma-

οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ καθ' εἷς ἀλλήλων μέλη; ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν διάφορα: εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως; εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ; εἴτε ὁ διδάσκων, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ; εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει; ὁ μεταδιδοὺς ἐν ἁπλότητι; ὁ προϊστάμενος, ἐν σπουδῇ; ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι. Ἡ ἀγάπη ἀνυπόκρι-

-gis magisque orationis ordine grammatico.), vt in admonendo elaboremus; benefacientes, vt hoc agamus liberaliter; praefecti (i. q. πρεσβύτεροι, cf. 1 Tim. V, 17.), vt impigre; miserentes (quae species esse videtur „τῶν μεταδιδόντων"), vt hilariter (non morose aegroue animo). Licet autem dubitare, haec munera, quatenus sunt, omnia inter Christianos Romae degentes iam tum viguisse, quae forsan P. ostendere atque commendare potius voluit lectoribus, quam, qua ratione administranda essent, tantummodo praecipere. Hinc vero ad communiora ille transgreditur monita ac praecepta, quibus tamen omnibus non minus, quam ante dictis, id spectauit maxime, vt status optimus florentissimusque ecclesiae apud Romanos Christianos existeret et in dies magis perficeretur. Ἡ ἀγάπη — κακόν. Amor (mutuus vester) esto haud fucatus! Odio habentes malum (quoduis et inhonestum), adhaereatis bono! Haec omnium generalissima. Ad Christianorum maxime societatem rite colendam sequentia valent. Fraterno amore (quod est peculiare nomen amoris inter Christianos mutui, cf. 2 Petr. I, 7.) erga vos inuicem estote affectu beneuolentiae tenerrimo; reueren-

τος! Ἀποςυγοῦντες τὸ πονηρὸν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ! Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόςοργοι; τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι; τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί; τῷ πνεύματι ζέοντες; τῷ καιρῷ δουλεύοντες; τῇ ἐλπίδι χαίροντες; τῇ θλίψει ὑπομένοντες; τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες; ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες; τὴν φιλοξενίαν διώκοντες! Εὐλογεῖτε τοὺς διώ-

tia vos inuicem superare nitamini; bene merendi studio (sic interpretor ex contextu coll. 2 Cor. VIII, 8.) feramini alacerrimo. Feruido agamini spiritu (i. e. esto vobis in rebus ad ecclesiam religionemque christianam pertinentibus quasi quidam ἐνθουσιασμὸς, cf. Act. XVIII, 25.); tempori seruite (i. e. atque tamen ea simul moderatione ac prudentia vtamini in re quacunque erga quoslibet, vt ne studii religiosi nimio feruore peccare videamini, cf. Eph. V, 16. Col. IV, 5.); spe (Christianis propria, cf. Eph. II, 12. 1 Thess. IV, 13.) laeti agatis; in calamitatibus exhibite perseuerantiam; precibus fundendis indefessam date operam; indigentiae sanctorum (i. e. Christianorum) amice succurrite; hospitalitatem persequimini (i. e. studiose exercete; retinui autem vocabulum archetypi propter statim sequens „διώκοντας,“ quod ex paronomasia natum videtur)! Quae nunc sequuntur vsque ad finem capitis, ad humanitatis officia erga quoscunque quouis modo praestanda spectant potissimum. Bona apprecamini vestris persecutoribus; bona (inquam apprecamini, nec eos exsecramini (quod forsan P. sciebat a

κοντας ὑμᾶς; εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε! Χαίρειν μετὰ χαιρόντων; καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων! Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες; μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντες, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι; μὴ γίνεσθε φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς; μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες; προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων; εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες; μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες, ἀγαπητοί; ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ; γέγραπται γάρ: „Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω; λέγει Κύριος!" „Ἐὰν" οὖν „πεινᾷ ὁ ἐχ-

quibusdam, ad quos scribebat, factum)! Gaudete cum gaudentibus (χαίρειν, κλαίειν, infinitiui pro imperatiuis, vt Phil. III, 16., quae forma apud Graecos etiam occurrit) et lacrimate cum lacrimantibus (praecepta similia Rabbinos habere notat Koppius)! Conspirate vobiscum inuicem (cf. e. c. XV, 5. 2 Cor. XIII, 11.); nec alta spirate, sed humilia (sic vi oppositi de ταπεινοφροσύνῃ interpretor et ex similitudine v. 9.) sectamini; neu vobis ipsis (iusto magis) sapiatis; nemini mala pro malis retribuite; date operam, vt bene agendo omnibus (Christianis et, qui non sunt) probemini (cf. 2 Cor. VIII, 21.); si fieri possit (quod propter alios fortasse non potuit interdum), quantum in vobis (modo vos ne huic bonae rei desitis), cum omnibus (etiam non Christianis) (pacem colite; neque ipsi vltionem vestri exigite, amici, sed locum irae (sc. Dei, ellipsi apud sacros scriptores et P., prae-

θρός σου, ψώμιζε αὐτὸν, ἐὰν διψᾷ, πότιζε αὐτόν; τοῦτο γὰρ ποιῶν ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ." Μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν!

sertim in h. epist., vt II, 5. 8. IV, 15. V, 9., frequentissima et sensu tum contextui accommodo tum ad rationem vel iudaicam vel christianam sentiendi composito, coll. Prov. XX, 22. Sir. XIX, 17. 1 Petr. II, 23.) date; scriptura enim (Deut. XXXII, 35. magis sec. hebr., quam LXX. et maxime conuenienter cum Ebr. X, 30.) ait: „Meum est, vlcisci, ego retribuam, inquit Dominus (Iehouah)!" Quamobrem (vt habet scriptura Prov. XXV, 21. 22. sec. LXX.) „inimico tuo esurienti cibum praebe; sitienti potum; quod faciens prunas viuaces in caput eius coaceruabis" (i. e. summos ei dolores excitabis; quod ego malim de quauis maleficiorum beneficiis repensorum poena, vel naturali vel diuina, quam de fulminibus potissimum in eum quasi congestis, explicare, quum גחלים Deo tributi tantum, non homini, fulmina dicantur idque in Psalmis; neque vero in Proverbiis, et verba illa V. T. hunc sensum minime postulent). Ne tu vincaris malo (i. e. ne patiaris te ab aduersario ad offensas ei retribuendas perduci), sed vincas (potius) mala (maleficia) bonis (beneficiis)!

Sequitur altera pars monitorum de obedientia erga magistratus exhibenda, qua Christianos, qui Romae erant, interdum illo tempore caruisse eo credibilius est, quod Iudaei erant plurimi, vulgo et quidem pro fastu suo sacro ethnicis magistratibus aegerrime subditi; cui

Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω! Οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ; αἱ δὲ οὖσαι ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν; ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν; οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται. Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν. Θέλεις δὲ μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν? Τὸ ἀ-

tamen separatae admonitioni rursus generaliora quaedam a v. 8. inde adnexa sunt. Prior igitur periocha capitis est haec: Πᾶσα — τὴν τιμήν. Omnis homo (quisquis sit, etiam Iudaeus; immo hic praecipue) potestatibus sublimibus (vt loquar cum Amm. Marcell. XIV, 1., i. e. magistratibus quibuscunque, quos idem P. 1 Tim. II, 2. „πάντας τοὺς ἐν ὑπεροχῇ ὄντας" appellat; cf. omnino 1 Petr. II, 13. 14.) se subiiciat! Non est enim potestas (vlla vllo tempore locoue), nisi a Deo (quippe qui summus rex regum facit, vt homines hominibus imperare possint; cf. e. c. Sap. VI, 3. ss.); quae autem sunt (certo quouis loco et tempore), a Deo constitutae sunt (quae est ex illo vniuerse vero quaedam conclusio). Quare qui se opponit potestati, Dei se instituto opposuerit; qui vero se (huic) opposuerint, sibi ipsis (certissime, nec habentes, quo iure excusentur) poenas contrahent. Magistratus enim non sunt metuendi bonis actionibus (i. q. bene agentibus), sed malis. Quodsi autem cupias non metuere potestatem, (age) fac bonum, quo facto ab illa laudaberis; est enim illa Dei (qui eam constituit ad sua quasi gerenda negotia, cf. Ps.

γαθὸν ποιεῖ· καὶ ἕξεις ἔπαινον ἐξ αὐτῆς! Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστι, σοι εἰς τὸ ἀγαθόν. Ἐὰν δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ· οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ· θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε· λειτουργοὶ γὰρ θεοῦ εἰ-

LXXXII.) minister, tibi vt bene sit. Sin malum feceris, metue (illam); non enim sine caussa gestat gladium (i. e. instrumentum quodcunque ingerendi supplicii); Dei namque (vt dixi, quod hic repetitur ad probandum „οὐκ εἰκῇ" gestari a magistratibus gladium) minister est, (isque) vindex (paratus) ad poenam infligendam cuilibet malum patranti. Quamobrem oportet, te (illi) subiicias; neque vero solum, ne puniaris, sed etiam, vt proberis (ad verbum: „propter conscientiam" i. e. vt mentem probes recti consciam). Etenim hanc ob caussam (nempe quia estis sub magistratibus, Deo volente iubente que vobis imperantibus, ne existimetis absque caussa a vobis tributa exigi) tributa quoque soletis pendere (quae quam aegro penderent animo Iudaei Ethnicis, patet e. c. ex Matth. XXII, 15. ss.); munus enim a Deo acceptum (magistratus) gerunt, hanc ipsam rem (sc. vt tributa pendantur) dum studiose curant (ideoque illi non vel sui commodi caussa tandummodo vel contra ius fasque hoc agere putandi sunt). Quare praestate omnibus, quae (ipsis quibuscunque) debetis (ex lege publica): cui (sc. debetis,

σιν, εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς· τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος· τῷ τὸν φόβον, τὸν φόβον· τῷ τὴν τιμὴν, τὴν τιμήν. — Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀλλήλους ἀγαπᾷν. Ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον νόμον

τῷ quidem explicando per: „ᾧ" sc. ὀφείλετε, „τούτῳ" sc. ἀπόδοτε, vt fere adhibetur 2 Cor. VIII, 15. ex Exod. XVI, 18. sec. LXX.) tributum, tributum (sc. praestate); cui vectigal, vectigal; cui metum (i. e. reuerentiam metui proximam, qua aliquanto plus continetur, quam τῇ τιμῇ, cf. 1 Petr. II, 17.), metum; cui honorem, honorem (quae est generis, per species facta enumeratione, illustratio, non nimis vrgenda, ad quam speciem quoduis vocabulum maxime referendum sit). — Hinc ad posteriorem capitis periodum transitur, quae constat hac admonitione: Μηδενὶ — ἀγάπη. In vniuersum omnibus nihil debetis (eo enim sensu iudico capiendum τό: ὀφείλετε, quo idem verbum iam saepius supplendum fuerat), nisi vt vos ametis inuicem. Nam qui amauerit alterum (quemcunque), is legem (totam diuinam, quatenus et qualis ab omnibus praestanda est i. e. moralem, cuius quidem exemplum suis sanctum auctor praeter Mosaica praecepta habebat nullum) perfecerit (cf. Sap. VI, 18. coll. Iesu effatis eiusdem argumenti notissimis). Nam illa (scripturae e. c. Exod. XX, 13—17.): „Ne moecheris (Dicant, qui potuerint, cur nec P., nec LXX. in Exodo, vulgarem praeceptorum ordinem sequuti sint); ne occidas; ne fureris; ne concupiscas," et si quod aliud (sit) praeceptum (sc. his simile adeoque huc pertinens,

πεπλήρωκε. Τὸ γάρ: „Οὐ μοιχεύσεις; οὐ φονεύσεις; οὐ κλέψεις; οὐκ ἐπιθυμήσεις," καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολὴ, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, ἐν τῷ: „Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν!" Ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ ἐργάζεται; πλήρωμα οὖν νόμου ἡ ἀγάπη. Καὶ τοῦτο, εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι

nempe ad officia aliis praestanda quibuscunque, idque nec solo in decalogo), hoc dicto summatim omnia comprehenduntur (cf. Gal. V, 14. vbi tamen „πληροῦσθαι" videtur i. q. „ἀναπληροῦσθαι" VI, 2. et Iac. II, 8.) hoc, inquam (ex Leuit. XIX, 18.): „Ama alterum, sicut te ipsum!" Amor alteri malum (omnino vllum) non affert; hinc perfectio legis (sc. obseruandae; plane vt paulo ante „ὁ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον νόμον πεπληρωκέναι" dictus fuerat) amor (sc. aestimari appellarique potest). Cui deinde monito vniuersali argumentum ex re Christianis peculiari adiicitur. Καὶ τοῦτο — ἤγγικεν. Atque hoc quidem (eo studiosius ac diligentius vobis putabitis agendum, sc. vt lex diuina mutuo amore praestando a vobis perficiatur, (καὶ τοῦτο non videtur requirere, vt hoc illudue in textu suppleas, quod si malis tamen, vocabulum „ὀφείλετε" sane ad hoc iudico aptissimum, verbis: „ὁ γὰρ ἀγαπῶν — ἡ ἀγάπη" parentheseos loco habitis quo magis fueritis) memores temporis (quod quale nunc est), quoniam (concinnius dicuntur eadem Ebr. X, 25.) hora i. e. temporis illud punctum) adest, qua iam nobis ex somno (i. e. statu vitiositatis, allegoria simili ei, qua idem hominis status cum morte solet comparari; somnus enim mortis imago est.)

ὥρα, ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι· νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν. Ἡ νὺξ προέκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν. Ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, καὶ ἐν-

expergiscendum sit: nunc enim propius abest nostra (Sic „ὑμῶν“ transponitur XIV, 16.) salus (illa saepe multumque ab apostolis praedicata, Christianis quidem per I. M. mox in terras rediturum certissima), quam (erat), quum confidere coeperamus (i. e. Christianae fidei professionem primum susceperamus; nimirum tanto propiore facto illo I. M. reditu, quanto pluribus annis ex illo tempore ad hoc vsque, quo P. haec scribebat, elapsis. De verbo πιστεύειν cf. Act. IV, 4. 32. VIII, 13. XIII, 12. 48. et saepius, 1 Cor. III, 5. XV, 2., de tota re 1 Cor. VII, 29—31. X, 17. XVI, 22. Phil. IV, 5. idemque vel promittunt, vel minantur omnes suis locis apostoli.) Nox (i. e. tempus triste Christianis; I. M. nondum reuerso; allegoria enim iam a somno ad noctem, sensu non eodem manente, inflectitur.) processit multum, dies (alma atque faustissima, qua I. M. rediturus est, apostolis saepe κατ᾽ ἐξοχὴν „ἡμέρα“ dicta) appropinquauit (i. q. „ἐγγύτερόν ἐστι“). Cui peculiari argumento per allegoriam inducto rursus auctor vniuerse monita superstruit. Ἀποθώμεθα — ἐπιθυμίας. Deponamus igitur (instar vestimenti nobis proxime adhaerentia) opera tenebrarum (i. e. qualia noctu, cuius in nuda iam idea subsistendum est, et in tenebris fieri solent, mala, turpia, flagitiosa, quia lucem fugit vitiositas, cuius ipsius ex religiosis erroribus natae quaedam significatio inest in vocabulo σκότος, cf. e. c. Eph. V, 11.) atque lucis instrumenta

δυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός. Ὡς ἐν ἡμέρᾳ, εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις, μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις, μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ; ἀλλ' ἐνδύσασθε τὸν κύριον, Ἰησοῦν Χριστόν, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας.

(q. d. instrumenta, quibus interdiu negotia quaecunque honesta vulgo perficimus, quamquam et vocabulum φῶς adiunctam habet notionem verae religionis scientiae atque animi ad illam bene compositi) induamus (i. e. virtuti pietatique studeamus). Vt in die (i. q. vt decet diurno tempore), decore vitam agamus, non (rebus indecoris peragendis, quae in noctem vulgo seruantur) commessationibus (sc. exercendis) et ebrietatibus; non scortationibus et flagitiis; non rixis et odiis; sed (potius) induatis dominum, Iesum Messiam (durius, ad similitudinem τοῦ: „ἐνδυσώμεθα — φωτός," et alio respectu, quam Gal. III, 27., dictum i. q. coniuncti cum eo viuatis, nempe animum moresque eius induentes atque exprimentes), nec carnem („cutem" Latini dicerent, cuius quidem cura inhonesta iamiam pluribus appellata fuerat nominibus) ita curate, vt vos detis (prauis spurcisque) cupiditatibus.

Hinc P. transit ad monendum lectores, rem, quae vel maxime posset esse impedimento, quo minus concordia stabilis ecclesiaeque firma conseruatio inter illos adhuc exstitisset; quam ob caussam apostolus huic potissimum admonitioni diutius inhaerere videtur. Pertinet autem ea ad diuersam vtriusque saepius memorati generis Christianorum, qui tum erant, rationem circa illa, quae ex lege Mo-

Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβά-

saica licita illicitaue in victus et temporis obseruantia habenda essent, iudaico quidem genere (vel toto, vel ex parte saltim) pro superstitione sibi paene connata tum abstinente a carnibus, quae facile manibus non iudaeis, hoc est, profanis et impuris, contrectatas esuri forent, tum dies olim sacras a se iudicatas, praesertim sabbatum, religiose adhuc seruante, ethnico vero duplicem hanc superstitionem nec imitante et forsan potius ridente atque vituperante; quamquam haud diffitear, Ethnicorum in ea re partibus forsitan ex Iudaeis natis quosdam Christianos accessisse. His vtrisque noster consulturus suadet sapienter, vt ne altera pars alteri facessat negotium in re per se prorsus media et nihil vtili, quae tamen, si non ipsam, sed de ea persuasionem hominum spectares, non sine offensa conscientiae ab iis, qui probent: negligi neque (profecto sine peccamine ab iis, qui nihili faciant, in aliis rideri vituperarique possit, quam proinde his quidem ferendam censet, illis autem tanti haud aestimandam, vt, qui ea careat, continuo peccare iudicent. Caeterum similia tractantur, non prorsus eadem, in priori ad Corinth. epistola cc. VIII — X. similiter. — Primum igitur Ethnicis, idque cum prudentia, vt Iudaeis suis fauere videretur, quorum facilius poterat incurrere inuidiam, generatim hac in caussa hoc praecipitur: Τὸν — διαλογισμῶν. Qui autem imbecillis est fide (i. e. qui vtitur persuasione religiosa adhuc imperfecta. Eandem formulam sensu non plane eodem habuimus IV, 19.), eum (vos illo fortiores) suscipite (i. e. dignum habete et tractate vestra Christianorum societate), sed non ita, vt (eum) faciatis animo dubium (i. e. non aduersus eum disputando, res ab eo

νεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Ὃς μὲν πιςεύει φαγεῖν πάντα; ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. Ὁ ἐσθίων τὸν μὴ ἐσθίοντα μὴ ἐξουθενείτω; καὶ ὁ μὴ ἐσθίων τὸν ἐσθίοντα μὴ

illicitas habitas prorsus esse licitas, et contra; διακρίσεις autem διαλογισμῶν referendas esse ad imbecillos, patet ex v. 23.). Deinde singula superstitionis iudaicae genera tractantur, quorum prius est hoc: Ὃς — ἐσθίει. Alius quidem confidit (s. certo sibi habet persuasum, sc. sibi licere), vesci omnibus (haud facto discrimine puri et impuri ex lege Mosaica); alius autem imbecillis olera edit (aspernatus carnes, tanquam edulium, facile impurum; quia degit inter Ethnicos, qui illas aluerint, mactarint, vendiderint, contentus quidem oleribus, a natura magis, quam ab hominum arte curaque, sibi praebitis). In quo quid vtrique parti obseruandum sit, statim breuiter et succincte auctor aperit. Ὁ — κρινέτω! Qui edit (omnia), non edentem ne despiciat; atque qui non edit (omnia), edentem ne damnet suo (nimirum priuato) iudicio (cf. Coll. II, 16.)! Iamque grauiter huic ad damnandum procliui parti, quae iudaica erat, pluribus, cur aliter, quam soleret, ipsi agendum esset, monstrat. Ὁ — αὐτόν. Deus enim eum suscepit (i. e. non aspernatus est eum, quamuis Ethnicum, impura cum puris, si ex lege Mos. iudicares, edentem, quin ad coetum sanctum Christianorum admitteret, quasi exemplum hac in re Iudaeo exhibens dignissimum, quod hic imitaretur.). Tu (si cum Deo te conferas) quis es (i. e. quam minime ad hoc idoneus agis, cf. IX, 20. Iac. IV, 12.), qui iudices contra alienum (nempe vel Dei vel I. M.

κρινέτω! Ὁ γὰρ θεὸς αὐτὸν προσελάβετο. Σὺ τίς εἶ, ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην? Τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει. Σταθήσεται δέ, δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ θεὸς στῆσαι αὐτόν. Ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν; ὃς δὲ κρίνει πᾶσαν

igiturque non tibi subiectum) seruum? Suo ille domino (ad te quidem re nihil pertinente) vel stat vel cadit (i. e. caussam habet dicendam, quam te haud interveniente ex solo illius domini sui iudicio vel obtinebit vel perdet). Constiturus autem (ille homo tibi visus peccator) est (cf. Luc. XXI, 36. et Cic. pro Caecin. 21.); potis enim Deus (qui potest omnia (cf. XI, 23.) quique illum talem, qualis adhuc est, omnia edentem, primum susceperat, etiam porro) facere, vt ille (non cadat caussa, sed) consistat (Quae Iudaeorum caussa dicta videntur, partim, vt ne amplius rem curarent ad se haud pertinentem, partim vt, si vel maxime non liqueret, Ethnicum impura etiam edentem non peccare, intelligerent illi quodammodo, cur hic tamen ferendus esset). Alterum nunc genus superstitionis iudaicae, inter Christianos manentis cum opposito, his memoratur verbis: Ὃς — ἡμέραν. (Porro) Alius quidem iudicat diem diei praeferendam, (tanquam sanctiorem caeteris, quia secundum legem Mosaic. festa sit); alius autem iudicat quamcunque diem (sc. „esse cuicunque prorsus dignitate parem,“ nullo sanctitatis dierum credito discrimine. Caeterum formula parum accurata et perspicua κρίνειν πᾶσαν ἡμέραν i. e. omnes dies sanctitate pares iudicare, videtur ad similitudinem praecedentis: „πιστεύειν φαγεῖν πάντα“ composita.) Cui memorationi statim hoc breuissime atque sa-

ἡμέραν. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω! Ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ φρονεῖ; καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ οὐ φρονεῖ. Καὶ ὁ ἐσθίων κυρίῳ ἐσθίει: εὐχαριστεῖ γὰρ τῷ θεῷ; καὶ ὁ μὴ ἐσθίων κυρίῳ οὐκ ἐσθίει, καὶ εὐχα-

pientissime monitum subiungitur. Ἕκαστος — πληροφορείσθω! Quilibet (id nimirum est vnum illud, quod in hac re optandum et vero etiam postulandum auctor censet ad id, vt neutra pars peccet!) sua ipsius mente prorsus firmam habeat sententiam! Ad vtrumque genus hic tractatum accommodate P. dicit, res, de quibus Christiani ambigant, adeo esse medias, vt iis obseruatis neglectisque pariter sensus et vita hominis cum pietate constare queat; id quod sic enunciat: Ὁ — θεῷ. Qui curauerit (φρονεῖν i. q. „παρατηρεῖσθαι" Gal. IV, 10.) diem (i. e. cogitauerit, sanctiorem alium esse diem, alium minus), domino (nempe Iesu Messiae, coll. v. 9.) curauerit (i. e. ea mente hoc fecerit, vt velit probari domino, adeoque pie); atque qui non curauerit diem, domino (idem) non curauerit (nimirum et ipse statuens, sic se probari domino, igiturque non minus curante illo pius). Similiter is, qui ederit (sc. omnia), domino ederit: gratias enim agit (i. e. solet agere) Deo (satis hoc demonstrans, se domino, I. M., id se referre acceptum, quod sibi liceat esse immuni a iugo legis Mosaicae, ideoque illum vtenda libertate sua christiana venerans, cf. 1 Cor. X, 30. 1 Tim. IV, 4.); atque qui non ederit (omnia, sed praeter olera nihil), domino (idem) non ederit (Nota autem, nunc imbecilliorem altero nominari loco, antea fortiorem, vt pateret, vtriusque eandem

ρισεῖ τῷ θεῷ. Οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ, καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει. Ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ κυρίῳ ζῶμεν; ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ κυρίῳ ἀποθνήσκομεν. Ἐάν τε οὖν

esse caussam, ratione domini habita!), qui idem Deo agit gratias (nempe persuasus, se ab illo edoctum hac potissimum abstinentia sua perfectiorem illi et I. M. cultum exhibere). Ac probat hoc apostolus, vt quilibet Christianorum non sibi suoque solum arbitrio viuat, sed ita, vt, domino Deoque se placere, possit credere. **Οὐδεὶς — κυριεύσῃ.** Etenim nemo nostrum sibi ipsi viuit, nec sibi ipsi moritur (i. e. per omnem vitam nulli mortalium licet ea, quae honesta inhonestaue sint, pro suo arbitrio et lubitu iudicare ac constituere). Quando enim viuimus, domino (i. e. ita, vt huic parendum, ad huius voluntatem et exemplum dicta factaque omnia accommodanda sint) viuimus (s. viui sumus); quando autem morimur, domino (rursus) morimur (quod vtrumque, „viuere et mori,“ nil nisi totam hominis vitam s. omne, quo ille est, tempus, designat). Igitur quando vel viuamus vel moriamur (i. e. semper et in rebus omnibus), sumus domini (i. e. eius iussis et rationibus subiecti et addicti esse debemus). In hoc enim Messias (quem P. hucusque „dominum“ vocauerat identidem) et mortuus est et vixit (adhucque viuit et semper victurus est, post mortem scilicet, qua laudabiliter tolerata demum prorsus Deo probatur toto nominis honore ac fructu Messias esse coepit), vt et mortuis et viuis (nobis et omnibus) dominaretur (quod „dominari,“ quid sibi ve-

ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τοῦ κυρίου ἐσμέν. Εἰς τοῦτο γὰρ Χριϛὸς καὶ ἀπέθανε καὶ ἔζησεν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ. Σὺ δὲ τι κρίνεις τὸν ἀδελφόν σου? ἢ καὶ σὺ τί ἐξουθενεῖς τὸν ἀδελφόν σου? Πάντες γὰρ παραϛησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριϛοῦ. Γέγραπται γάρ: „Ζῶ ἐγὼ, „λέγει κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ.“ Ἄρα οὖν ἕκαϛος ἡμῶν περὶ ἑαυτοῦ λόγον δώσει τῷ Θεῷ. Μηκέτι οὖν

lit, facile ex doctrina apostolorum colligitur, de quo cf. e. c. Phil. II, 9—11., quamquam profecto noster h. l. in verbis: „vivere et mori“ aliquantum lusisse videatur). Iam vero ex eodem argumento auctor duxit monitum suo consilio accommodatum. Σὺ—κρίνωμεν. Tu vero (Iudaee!) quid iudicas (i. q. damnas tuo iudicio, vt v. 3.) fratrem tuum (i. e. Christianum, hominem tibi hactenus aequalem atque coniunctissimum); aut tu quoque (Ethnice!) quid fratrem tuum despicis? Nihil opus est hic praeiudiciis humanis, nequidquam offuturis, nisi vt noceant mutuae concordiae, et profecto alienum forum incurrentibus. Omnes enim nos sistemur coram tribunali Messiae (cf. 1 Cor. IV, 5. 2 Cor. V, 10.). Quod sic futurum confirmat loco sacro ex Ies. XLV, 23., nec satis fideli memoria et additis, quae addenda viderentur, expresso. Scriptura enim ait: „Ita ego viuam, inquit Dominus (verba item sacra sunt, quamquam non nostri ex Iesaia loci, sed e. c. Num. XIV, 28. Ier. XXII, 24., a P. haud dubie de I. M. dicta, ad quem hunc Iesaiae locum

ἀλλήλους κρίνωμεν; ἀλλὰ τοῦτο κρίνατε μᾶλλον, τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον! Οἶδα καὶ πέπεισμαι ἐν κυρίῳ, Ἰη-

etiam Phil. II, 10. 11. retulit), vt mihi se flexurum sit omne genu omnisque lingua laudatura Deum (i. e. vt mihi tanquam domino suo omnis homo se submissurus cultumque suum praestiturus sit)." Vnde porro sic concludit: Atqui igitur quilibet nostrum de se ipso rationem Deo redditurus est (quod adeo valet, vt praemium quodcunque mortalium de aliis iudicium prorsus habendum sit superuacaneum); quare ne amplius iudicate alter contra alterum. Cui quidem monito generali hoc speciale, robustioribus datum, statim adnectit: ἀλλὰ — σκάνδαλον. Immo id iudicate (i. e. curate et cauete; dictum ad similitudinem eiusdem vocabuli proxime praecedentis per antanaclasin.) potius, vt ne ponatis impedimentum (i. e. irritamentum peccandi, quatenus infirmior animo, si vidisset fortiorem res sibi sacras negligere, contra suam persuasionem eum esset imitaturus; cf. v. 20. 21. 1 Cor. VIII, 9.) fratri vel scandalum (i. e. rem inuidiae plenam, qua infirmior iste, quia pro impia habet, contristabitur, si in Christiano deprehenderit; cf. v. 15.)! At enim eosdem peritiores confirmatioresque ex lectoribus solos per totum deinceps caput admonet et hortatur apostolus, partim, opinor, quia his putabat facilius esse, vt se emendarent, in quo vellet, partim, quia horum erat potissimum, vt humanitatem probarent in tolerandis infirmis, ad salutem christianae reipublicae maxime et vtilem et necessariam. His igitur primum suam de hac quaestione aperit sententiam. Οἶδα — κοινόν. Scio equidem et persua-

σοῦ, ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' αὐτοῦ, εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινόν. Εἰ δὲ διὰ βρῶμα ὁ ἀδελφός σου λυπεῖται, οὐκέτι κατὰ ἀγάπην περιπατεῖς. Μὴ τῷ βρώματί σου ἐκεῖνον ἀπόλλυε, ὑπὲρ οὗ Χριστὸς ἀπέθανε.

sus sum per dominum, Iesum (i. e. auctore I. M.), nihil impurum (κοινὸν i. q. ἀκάθαρτον, Act. X, 14.) esse per se (cf. 1 Tim. IV, 4.), nisi quod, qui existimauerit, esse aliquid impurum, ei sane fuerit impurum (i. q. sed enimuero impurum illicitumque esse, quicquid cuique tale visum fuerit. Cf. de εἰ μὴ 1 Cor. VII, 17. Gal. I, 7.). Qua sententia, quamuis illis fortioribus fauente, monet tamen, cedendum esse aliter sentientibus idque illos monet pluribus argumentis validissimis scitissime adhibitis. Proximum est: Εἰ — περιπατεῖς. Quodsi autem cibo (quem P. solum, nec festos dies, hic et deinceps appellat, quia in ea potissimum superstitione, quae ad edulia pertinebat, Iudaeis volebat, quantum posset, dari, festorum quidem commemoratione, vt videtur, non tam monendi caussa, quam illustrandi, v. 5 et 6. vsus obiter) frater tuus contristatur (i. q. σκανδαλίζεται v. 21.), iam non (cf. XI, 6.) pro amore agis (illi debito, sc. si tu tamen illo conscio et forsan praesente vtaris cibo, quem ille putet vetitum). Alterum est: Μὴ — ἀπέθανε. Noli cibo tuo (videlicet re tam minimi momenti habenda, cf. v. 20.) perdere (i. e. partim ad peccandum, te imitando, perducere, partim ad odium prouocare Christianorum, quippe qui sustineant vti rebus sibi profanis, et sic forsan ad ipsius Christianismi odium ac desertionem permouere) eum, pro quo Messias heu, qua-

νε. Μὴ βλασφημείσθω οὖν ὑμῶν τὸ ἀγαθόν. Οὐ γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις, ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη καὶ χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Ὁ γὰρ ἐν τούτῳ δουλεύων τῷ Χριστῷ εὐάρεστος τῷ θεῷ καὶ δόκιμος τοῖς

lis persona quanto de te illoque bene merita impendio!) mortuus est (cf. 1 Cor. VIII, 11.)! Tertium est: Μὴ — ἀγαθόν. Ne igitur conuiciis (per vos ipsos Christianos; cf. II, 24.) exponatur (apud eos, qui quaerunt occasionem taxandi christianam religionem et ecclesiam, Iudaeos non minus, quam Ethnicos) vestrum bonum (nempe libertas illa sentiendi agendique accepta ex veritate doctrinae christianae, adeoque haec ipsa doctrina; cf. 1 Cor. X, 29. 30, 1 Tim. VI, 1.). Quartum est: Οὐ — ἀνθρώποις. Non enim regnum Dei est in cibo potuque capiendo (i. e. perfectio hominis christiani non censenda est ex eo, quid edat vel non edat, bibat vel non bibat, quasi tu recte putare possis, te fore gratiorem Deo, si vescaris promiscue omnibus, minus gratum, qui nonnullis tantum. De re cf. 1 Cor. VIII, 8., de formula dicendi 1 Cor. IV, 20.), sed in probitate (actiue sumta) et pacis studio et gaudio per Spiritum sanctum (sc. procreato i. e. quod vel natum sit ex boni honestique piis sensibus, vel cum pietate coniunctum (cf. 1 Thess. I, 6.), quale sane non esset illud, quod ex libertate edendi cum noxa Christianorum vsurpata perciperetur). Quo quidem praestando (nam illa tria praestans praestiterit vnum, virtutem vere christianam) qui Messiae seruum (s. addictum) se exhibuerit, acceptus Deo est idemque spectatus hominibus. Iam rursus accom-

ἀνθρώποις. Ἄρα οὖν τὰ τῆς εἰρήνης διώκωμεν, καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους. Μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. Πάντα μὲν καθαρά; ἀλλὰ κακὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ διὰ προσκόμματος ἐσθίοντι. Καλὸν τὸ

modate ad verba modo posita monitum repetitur. Ἄρα — ἀλλήλους. Age igitur sectemur, quae ad pacem spectant (inter Christianos stabiliendam alendamque) quaeque ad salutem (Christianorum) mutuo aedificandam (i. e. promouendam atque amplificandam; coll. e. c. XV, 2. 2 Cor. X, 8., qui vsus loquendi ad allegoriam P. frequentiorem de ecclesia, „οἴκῳ, s. ναῷ, τοῦ Θεοῦ," referendus est); statim momento cohortandi addito, ex vocabulo „οἰκοδομῆς" depromto: Μὴ — Θεοῦ. Noli propter cibum (rem indignam, quae tantos habeat effectus) Dei opus (i. e. ciuitatem Christianorum, quasi Dei aedificium. Similiter dicitur „τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ" Phil. II, 30.) destruere. Reliqua, quae in h. cap. sequuntur, omnia rem adhuc tractatam partim reddunt explanatiorem, partim nouis inculcant rationibus. Πάντα — ἐστίν. Omnia quidem pura (per se) sunt (i. q. „οὐδὲν κοινὸν δι' αὐτοῦ" v. 14. et occurrit illud etiam Tit. I, 15. sed latiori sensu, veluti adagium); verum enim male agetur ab homine, qui cum impedimento (i. e. ita, vt aliis impedimentum, vel potius ad peccandum caussam occasionemque exhibeat) ederit. Bene (contra) agetur, si nec carnem ederis, nec biberis vinum (quod facile ex commercio cum Ethnicorum sacrificiis impuri quid contractum habere poterat) nec (sc. ceperis adhibuerisue quidquam omnino), quo frater tuus vel im-

μὴ φαγεῖν κρέα μηδὲ πιεῖν οἶνον, μηδὲ, ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ. Σὺ πίστιν ἔχεις; κατὰ σεαυτὸν ἔχε ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν, ἐν ᾧ δοκιμάζει; ὁ δὲ διακρινόμενος, ἐὰν φάγῃ, κατακέκριται, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως.

pediatur (i. e. irritetur ad peccandum), vel offendatur (i. q. contristetur; cf. 1 Cor. VIII, 13. 2 Cor. XI, 29.) vel (omnino) imbecillis sit (i. e. ob mentis animique imbecillitatem quouis modo male afficiatur). Tu quidem fidei firmitate gaudes (i. q. „πιστεύεις φαγεῖν πάντα" v. 2., vel: „πιστὸς εἶ καὶ ἐπεγνωκὼς τὴν ἀλήθειαν" sec. 1 Tim. IV, 3.; idemque „γνῶσιν ἔχειν" dicitur 1 Cor. VIII, 10.); age, gaudeas ea tecum coram Deo (i. e. priuatim et quum solus es, non coram aliis publice, cf. 1 Cor. XIV, 28.). Beatus ille, qui non contra se iudicauerit in re (quacunque), quam sibi faciendam statuerit (i. e. qui non contra suam ipsius conscientiam recti in re vlla egerit); qui vero dubio fuerit iudicio (i. e. dubitauerit de iure; et vocabula: διακρινόμενος et κατακέκριται alludere videntur τῷ: κρίνειν.), quando ederit, dignus est, qui damnetur a iudice, quoniam non ex fide (i. e. cum firma recti persuasione) egerit. Nam quicquid ex fide (sensu iamiam exposito) non fit, peccatum est. Iam auctor reuertitur ad monendum fortiores, a quibus v. 23. paulisper diuerterat, nouo vsus vocabulo ἀρέσκειν, in quo deinde haeret diutius. — Quam vero pericopam Griesbachius huic orationis contextui interiectam, criticis permotus argumentis, exhibuit: „Τῷ δὲ δυναμένῳ — εἰς τοὺς αἰῶ-

ἁμαρτία ἐςίν. Ὀφείλομεν δὲ ἡμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαςάζειν, καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν. Ἕκαςος ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν. Καὶ γὰρ ὁ Χριςὸς οὐχ ἑαυτῷ ἤρεσεν, ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται: „Οἱ ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων

νας! Ἀμήν!" quibus de caussis ad calcem epistolae, vbi vulgo legitur, nos quoque remissam voluerimus, praefatio nostra iam satis, opinor, demonstravit. — Ὀφείλομεν — ἀρέσκειν. Debemus autem nos (ergo P. se iam includit fortioribus, quod quis factum miretur coll. XIV, 14?), qui sumus validiores (nomen ex opposito „ἀσθενοῦντες τῇ πίςει XIV, 1., qui hic ἀδύνατοι dicuntur, explicandum!), imbecillitates inualidiorum tolerare (i. e. patienter humaniterque ferre, cf. Gal. VI, 2.), neque nobis placere solis (i. e. ita agere, vt nobis libuerit exque re nostra esse nobis visum fuerit, aliorum nulla ratione habita; cf. 1 Cor. X, 33.). Vnde format monitum generalius hoc: Ἕκαςος — οἰκοδομήν! Quisque nostrum alteri studeat placere in rem bonam (perficiendam, quaecunque sit, atque) ad salutem (alienam) aedificandam (quae duo momenta: εἰς — οἰκοδομὴν addita scito, ne male interpretarentur lectores bonam sententiam)! Quod monitum exemplo confirmat ac commendat I. M., merito Christianis ad imitandum praeclarissimo, idque ex parte verbis ex codice sacro desumtis. Καὶ „ἐμέ." Etenim nec ipse Messias sibi soli placere studuit (non fuit φιλαυτός!), sed (sc. „ad eum modum se gessit," qualis ellipsis reperitur quoque XV, 21. 1 Cor. II, 9.) quemadmodum habet (Ps. LXIX, 10. (9.) sec. LXX.)

σε ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ." Ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη; ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ὑπο-

scriptura:] „Conuicia te (o Deus!) conuiciantium in me inciderunt (i. e. afficior ego malis, quae, impietas hostium in Deum perpetrat; quo P. significare voluit tolerationem malorum hominum a I. M. non sui caussa, sed aliorum, praestitam)." Ac tandem ad finem currit haec tota apostoli admonitio, dum ille primum suadet, vt verbis scripturae, qui norint, ad se emendandos atque consolandos adhibeant: Ὅσα — ἔχωμεν. Quaecunque enim (etiamsi primo intuitu non nobis maxime, qualia profecto et illa Psalmi) ante (nempe in libris sacris) scripta sunt, in nostri institutionem scripta (saltim sic existimanda atque tractanda) sunt (quo igitur apostolus monstrat, quam vtilitatem Christiani ex sacrarum litterarum lectione auditioneue capere debeant, ad se nimirum meliore reddendos illas, provt quantumque possint, adhibentes; cf. 1 Cor. IX, 8 — 10. X, 6 — 11.); vt patienter (res personasque) ferendo (quo ὑπομονῆς vocabulo ad ea respicit, quae ante monuerat) atque (adiuti in ea re) consolatione scripturarum (quippe quae exemplum nostro simile in ipso Messia nobis, magno id quidem cum nostri solatio, proponant) spem illam (Christianis peculiarem, cf. XII, 12.) habeamus (nobis faciamus firmissimam; quod quum multis rebus aliis, tum illa Messiae imitatione fit, paulo ante memorata). Dein votum addit ad eandem hucusque tractatam admonitionem potissimum spectans: Ὁ — Χριστοῦ!

μονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως δώῃ ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις κατὰ Χριστὸν, Ἰησοῦν; ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι δοξάζητε τὸν Θεὸν καὶ πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ!

Deus autem (qui est auctor) patientiae consolationisque (en nomen Dei formatum ex modo dictis, vt solet noster, coll. v. 13. i. e. qui largitur nobis hoc, vt ferre valeamus res et homines, quo debeamus animo, et ad id facilius praestandum solatiis nos suis adiuuat; cf. 2 Cor. I, 4. ss.) tribuat hoc vobis, vt eadem inter vos inuicem sentiatis (cf. XII, 16.; quae verba interim h. l. ad mutuam illam opinionum de rebus licitis illicitisque tolerantiam potissimum referenda sunt), quod ad Messiam, Iesum, (i. e. ad caussam Christianismi; κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν i. q. „ἐν Κυρίῳ" Phil. IV, 2.) attinet; vt (adeo tandem, si fieri possit) concorditer (et) vno ore (i. e. eandem prorsus in omni re sententiam et accipientes et profitentes) collaudetis (i. q. laeti colatis) Deum eundemque patrem domini nostri, Iesu Messiae (in quo sancto nomine, vt hic, ita saepe alias in h. epistola, coll. V, 11. 21. VI, 23. VIII, 39., periodi statuit terminum)!

His ita monitis apostolus insuper addit, verbis quidem ad ante dicta compositis, nouam cohortationem, ad totius epistolae consilium, nempe ad commendationem vniversalis concordiae ecclesiasticae, vt ego puto, referendam, cuius statim adiicit caussam maxime idoneam, quod I. M. persona ad vtrorumque, Ethnicorum Iudaeorumque, rationes spectet, voto demum rursus in fine apposito. Sic igitur cohortatur lectores suos omnes:

Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ὑμᾶς εἰς δόξαν θεοῦ. Λέγω δὲ, Ἰησοῦν Χριστὸν διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας θεοῦ, εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων; τὰ δὲ ἔθνη

Διὸ — θεοῦ! Ergo suscipite (eo sensu, quo dicebatur idem XIV, 1.) vos inuicem (nimirum ad vnitatem ecclesiae firmiter constituendam), quemadmodum et Messias suscepit (i. q. suos fecit i. e. Christianos, cf. XIV, 3.) vos in Dei gloriam (nam I. M. Dei honorandi caussa fecit, quae fecit, omnia, cf. Phil. II, 11.; nisi potius vertendum existimes: „suscepit nos ita, vt olim fruamur felicitate gloriosa a Deo nobis speranda," de qua „δόξῃ" legimus e. c. V, 2., vocabulo quidem εἰς coniuncto cum προςελάβετο, sicut XIV, 1. coll. 1 Sam. XII, 22.). Caussa haec est: Λέγω — θεόν. Enimuero sic statuo equidem, Iesum Messiam se ministrum praebuisse circumcisis (i. e. missum esse a Deo, vt ipse sua persona Iudaeis, non gentibus, prodesset; cf. e. c. Matth. XV, 24.) ob Dei veracitatem (probandam; cf. III, 7.; sunt enim opposita: ὑπὲρ ἀληθείας θεοῦ et: ὑπὲρ ἐλέους.), vt (his illa explicantur!) ratas faceret promissiones patriarchis datas; Ethnicos vero ob misericordiam (i. e. ob gratuitum plane beneficium, quatenus euangelii bona, licet non sibi ante promissa, tamen accepissent) laudare (debere) Deum (quibus igitur effatis duobus auctor, quae ratio quodque vinculum Iudaeis Ethnicisque, non vtrisque idem, cum I. M., auctore salutis euangelicae, intercedere existimandum esset, breuiter exposuit; vnde posset ac deberet a lectoribus concludi, arctam

ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν θεὸν, καθὼς γέγραπται: „Διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσι, καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ.“ Καὶ πάλιν λέγει: „Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ!“ καὶ πάλιν: „Αἰνεῖτε τὸν κύριον πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἐπαινέσατε αὐτὸν πάντες οἱ λαοί!“ Καὶ πάλιν Ἡσαΐας λέγει: „Ἔσται ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν;

vtrisque societatem ecclesiasticam qua lege quoque ordine ac modulo esse ineundam, cuius nimirum inter ipsos stabiliendae caussa apostolus hanc epistolam potissimum scripsisse videtur. Bene Lutherus ad h. l. in glossis: „Summa summarum dieser Epistel: Beide Iüden und Heiden sollen seelig werden!“). Quam rem P., qua Ethnicos spectaret, quia id quidem suis lectoribus iudaicis putabat esse necessarium, deinceps locis sacris pluribus gnauiter asserit et confirmat. Καθὼς — „ἐλπιοῦσιν.“ Quemadmodum scriptura (Ps. XVIII, 50. (49.) sec. LXX.) habet: „Propterea (Dauides quidem dicit propter liberationem ab hostibus suam, P. autem propter salutem euangelii impertitam Ethnicis) celebrabo te (Deum) inter gentes (quae P. sunt Ethnici, quibus I. M. praedicabatur), et laudes canam tuo nomini.“ Atque alio loco (Deut. XXXII, 43. sec. LXX.) eadem (ad vocabulum λέγει deest nomen „ἡ γραφή“ h. l. facile ex sensu praecedentis verbi „γέγραπται“ repetendum; cf. 1 Cor. IX, 10. et 1 Tim. V, 18.) sic: „Laetamini gentes (quae et qua de caussa, scimus) cum eius populo (iudaico scilicet)!“ et rursus alio (Ps. CXVII, 1. sec. LXX.): „Laudate Dominum (Deum, Ie-

ἐπ' αὐτῷ ἔθνη ἐλπιοῦσιν." Ὁ δὲ Θεὸς τῆς ἐλπίδος πληρώσαι ὑμᾶς πάσης χαρᾶς καὶ εἰρήνης ἐν τῷ πιςεύειν, εἰς τὸ περισσεύειν ὑμᾶς ἐν τῇ ἐλπίδι, ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου!

Πεπείσμαι δὲ, ἀδελφοί μου, καὶ αὐτὸς ἐγὼ περὶ ὑμῶν, ὅτι καὶ αὐτοὶ μεςοί ἐςε ἀγα-

houam) omnes gentes et collaudate eum, omnes populi!" Ac rursus (etiam) Iesaias (XI, 10. sec. LXX., omissis tamen his: „ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ"): „Existet sobolesex stirpe Isai (i. e. aliquis ex Davidis posteris, qui P. est I. M., cf. Apoc. V, 5. XXII, 16.) et exortus ad imperandum gentibus, in quo gentes spem collocabunt!" Votum denique habet ita ex modo allatis: Ὁ — ἁγίου! Deus autem (auctor) spei (omnino omnium bonorum et praesertim Christianis exspectandorum) impleat vos omni gaudio (potissimum ex laeto Christianorum enascente) ac pace (inter vos agenda) in fidei (euangelio habendae i. e. in euangelii recte colendi) negotio, vt vos semper abundantiori fruamini spe (vestra Christianorum propria, iam saepius memorata), adiuti (in his rebus omnibus) potentia sancti spiritus (quippe qui Christianis sensus cuiuscunque generis bonos tribuit)!

Sequitur iam toto capite reliquo appendix epistolae, sed ea quidem ad consilium scribendi valde vtilis, immo necessaria; qua auctor 1) bene de lectoribus sperans suamque excusans monendi licentiam erga eos vsurpatam id agit, vt, si quam sui dictorumque suorum inuidiam excitasset, omnem ex illorum animis prorsus eripiat v. 14 — 19. 2) caussis expositis, quibus adhuc impeditus esset, quo minus

θωσύνης, πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως, δυνάμενοι καὶ ἀλλήλους νουθετεῖν. Τολμηρότερον

Romam veniret promissoque itinere illuc faciendo rursus molitur excusationem scriptae interim huius ad eos epistolae, v. 19—24. 3) enarrando, quod in praesenti perfecturus sit, negotio familiaritatem quandam cum Christianis, qui Romae erant, contrahens se iis optime commendat v. 25—32., ac tandem 4) v. 33. voto pro iis denuo nuncupato finem imponit periochae; ita vt tota haec appendix non minus, quam exordium (I, 8—15.), immo magis etiam, ad captandam lectorum beneuolentiam pertineat. Ac primum quidem sic de illorum ingenio menteque honorificum fert iudicium: Πέπεισμαι — νουθετεῖν. Caeterum, fratres mei (dilectissimi, qui h. l. sunt Christiani, ad quos scribebat, omnes, praecipue tamen, qui ex Iudaeis erant, his scriptis maxime petiti), persuasus et egomet (quamvis istis ad vos perscriptis) sum de vobis, vos et ipsos esse large praeditos bonitate animi („voll guten Willens") re ad excipiendam euangelii veritatem studiumque concordiae, quod apostolus vnice commendatum volebat lectoribus, maxime necessaria) repletosque omni (qua ad praestanda Christianorum publica officia quaeuis requiratur, religionis) scientia, adeoque potentes, ipsos admonere vos inuicem (vt me alioue vllo externo monitore haud egeatis). Tum excusat, qua tamen aduersus eos vsus fuerit, dicendi vel libertatem vel audaciam, allata quidem ratione muneris a Deo sibi demandati, illam postulante: Τολμηρότερον — ἁγίῳ. Attamen audacius ex parte (non omnia; quamquam, si cogites, P. Romanis adhuc de facie ignotum neque vllo meritorum vinculo coniunctum haec ita scripsisse, sane pluri-

δὲ ἔγραψα ὑμῖν, ἀδελφοὶ, ἀπὸ μέρους, ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς, διὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ὑπὸ τοῦ θεοῦ, εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη

ma!) vobis, fratres, scripsi, videlicet commonefaciens (quo vocabulo emollit scriptorum duritiem scribendique adeo suam ipsius audaciam); idque (sic ausus sum facere et audere potui) propter beneficium (muneris apostolici, cf. XII, 3.) mihi a Deo concessum, (quod eo cernebatur) vt essem minister (λειτουργος i. q. „δοῦλος“ I, 1. „διάκονος“ Eph. III, 7.) Iesu Messiae (nempe legatus) ad Ethnicos (cf. XI, 13.), sacerdotio (quasi) fungens euangelii (i. e. euangelio propagando) Dei (locum nostro valde similem ex Iosepho de Macc. 7. init. protulit Carpzouius), vt existeret (veluti quaedam) oblatio (nempe sacra) Ethnicorum (Deo) acceptissima (i. e. vt Ethnici s. ex Ethnicis homines ceu quoddam sacrificium Deo gratissimum offerrentur; et ad continuandam allegoriam „τοῦ ἱερουργοῦντος“, immo etiam „τοῦ λειτούργου“ coll. Phil. II, 17., haec sic dicta sunt.), consecrata illa quidem (non vulgaribus sacrificandi caerimoniis, sed) per sanctum spiritum (datum a Deo Christianis omnibus ad omnem animi perfectionem, qua ipsi sancti essent vero nomine, atque ad salutem aeternam). Quam ipsam rem auctor deinceps illustrat ita, vt quae quanta iam munere suo apostolico fungens praestiterit, ad auctoritatem sibi apud lectores conciliandam praedicet, simulque caussas proferat, cur, dudum quod voluisset, vt ad eos ipse veniret, perficere ad hoc vsque tempus nondum po-

ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Ἔχω οὖν καύχησιν ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ τὰ πρὸς τὸν Θεόν. Οὐ γὰρ τολμή-

tuerit: Ἔχω — „συνήσουσι" Inde est mihi (S. „mea") gloriatio (et παῤῥησία, hac ipsa in epistola multum sese exserens! cf. e. c. 2 Cor. VII, 4. 14.) per Messiam Iesum (i. e. quae nititur mea coniunctionis meae cum I. M. arctissimae fidelissimaeque conscientia; cf. formulam eandem similiter adhibitam 1 Cor. XV, 31.) in iis, quae ad Deum pertinent (i. q. in rebus diuinis S. religiosis; cf. Ebr. II, 17. ibidemque saepius occurrentem eandem formulam). Haud enim ausim loqui (quod h. l. scripta verba, nempe ad hanc ipsam episstolam, referendum est) aliquid (eius generis), quod (ὧν i. q. ἐκείνων, ἃ) non perfecerit (i. e. facto comprobauerit; rem similem similiter dixit 2 Cor. XII, 12.) Messias per me ad obedientiam Ethnicorum (i. e. in Ethnicis praestandam euangelio), verbis et operibus (i. q. docendo agendoque), vi (ita nos aduerbialiter: „kraft, vermöge", quemadmodum explicant vulgo „κατὰ δύναμιν" Ebr. VII, 16.) signorum (quia miracula erant „signa" et documenta diuinae legationis; sic אות apud Hebraeos, e. c. Ies. VIII, 18.) miraculorumque, vi spiritus Dei (patratorum); adeo vt equidem ab Hierosolymis inde ac locis (illi vrbi) confinibus vsque ad Illyricum (quod P. saltim attigisse narratur Act. XVII, 1. ingressus Apolloniam, illius regionis opidum, distans Hierosolymis circiter 350 milliariis germanicis) satisfecerim euangelio (vbique praedicando; de πληροῦν cf. Col. I, 25. IV, 17. coll. Act. XII, 25. et 2 Tim. IV, 5.) Messiae (dubium, obiectiuene an subiectiue dictum!); ita quidem studiose adnitens (φιλοτιμούμενον iun-

σω λαλεῖν τι, ὧν οὐ κατειργάσατο Χριςὸς δι' ἐμοῦ εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, λόγῳ καὶ ἔργῳ, ἐν δυνάμει σημείων καὶ τεράτων ἐν δυνάμει πνεύματος θεοῦ; ὥςε με ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριςοῦ; οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, οὐχ ὅπου ὠνομάσθη Χριςὸς, ἵνα μὴ ἐπ' ἀλλότριον θεμέλιον οἰκοδομῶ, ἀλλὰ, καθὼς γέγραπται: Οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται, καὶ οἳ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι." Διὸ καὶ ἐνεκοπτόμην τὰ πολλὰ

cum puto [cum: „ὥςε με πεπληρ.") hoc euangelii negotio fungi („vt"), non („praedicarem") vbi (iam ante) celebratus fuerat Messias, vt ne in alieno (ab aliis posito) fundamento aedificarem (i. e. ne nil nisi inceptam ab alio quodam institutionem euangelicam ego perficerem; de qua allegoria P. vsitata cf. 1 Cor. III, 10. Eph. II, 20., sed secundum illud (ex Ies. LII, 15. sec. LXX.) scripturae: „Quibus non nuntiatum fuerit de eo (quem P. vult I. M.), videbunt, et qui non audiuerint, intelligent." Quod qua de caussa P. sic facere instituerit, quaeri potest; et forsitan fecit ideo, quia erant perpauci, immo praeter suos nulli, quos sciret ea prorsus ratione, qua ipse maxime volebat, in tradenda euangelii doctrina ecclesiisque condendis versari. Caeterum hoc ipso commemorando eo magis se apud Romanos, quod ad eos nondum venisset, excusabat, quod Romae quidem rem euangelii docendi integram haud fuisset inuenturus; quam excusationem statim agit verbis disertis: Διὸ

του ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις, ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν, ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλπίζω διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς καὶ ὑφ᾽ ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ. Νυνὶ δὲ πορεύομαι εἰς Ἱερου-

— ὑμᾶς. Quare etiam praepeditus sum multifarie, quin ad vos venirem. Promittit autem, se iam venturum breui interiecto tempore; ac sane venit Romam postea; at qualis, quo tristi fato, venerit, scimus ex Act. XXVII. et XXVIII. Νυνὶ — ἐμπλησθῶ. Nunc vero loco (nam Latini quoque „locum" vocant copiam et facultatem agendi, quae hic vocab. τόπος significatur) amplius mihi dato nullo (sc. euangelii praedicandi) in his (Graeciae puta et Achaiae, quum iam Corinthi degeret) regionibus (id quod tamen non strictissime dictum interpretari debemus), desiderio autem flagrans (Num forsan paronomasia insit in hoc iterato ἔχων?) ad vos veniendi inde a multis annis (forsitan a principio gesti ab eo muneris apostolici, quum Roma caput esset imperii, de cuius temporis longitudine consuli potest ep. ad Galatas, paullo ante nostram conscripta), spero, si quando proficiscar in Hispaniam, me transeuntem (per Romae vrbem) visurum vos et adiutum iri ad iter illuc peragendum, quum antea (πρῶτον h. l. ferme redundat, vt Matth. VIII, 21.) vobis aliquantum (quantum licuerit pro temporis breuitate) fuero (colloquiis cum illis habendis tractandisque rebus variis, ad religionem pertinentibus; cf. I, 11. 12. et XV, 29.) fruitus.

σαλὴμ, διακονῶν τοῖς ἁγίοις. Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα, κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι εἰς τοὺς πτωχοὺς τῶν ἁγίων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. Εὐδόκησαν γάρ; καὶ ὀφειλέται αὐτῶν εἰσιν. Εἰ γὰρ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν ἐκοινώνησαν τὰ ἔθνη, ὀφείλουσι καὶ ἐν τοῖς σαρ-

Iam vero, quid in praesenti agat, amice, et forsitan cum certo quodam obscure admonendi consilio, exponit. Νυνὶ — αὐτοῖς. Nunc autem Hierosolyma proficiscor (de quo itinere lege Act. XIX, 21. ss.) sanctis (i. q. Christianis) ministraturus (nempe offerendis eleemosynis per Macedoniam et Achaiam inter Christianos collectis, quod ex contextu patet; cf. 2 Cor. VIII, 19. 20. Ebr. VI, 10. De re ipsa pluries a P. memorata vide 1 Cor. XVI, 1. ss. coll. 2 Cor. VIII, 1. ss., quae quidem eius generis collatio per P. procurata fuit posterior, cuius mentio est Act. XXIV, 17., de priori autem cf. Act. XI, 30. et XII, 25.). Visum est enim Macedoniae et Achaiae (i. e. ecclesiis harum terrarum christianis), colectam (cf. 2 Cor. IX, 13. Ebr. XIII, 16.) aliquam (videtur P. h. l. rem alibi multis magnisque praedicatam, laudibus, verbis suis extenuare, ne lectores Iudaeos ea honorificentius commemoranda, quia hoc Ethnicorum erga ipsorum gentem beneficium erat, offenderet; quo etiam, quae v. 27. sequuntur, referenda puto, quibus si quid dicas inesse admonitionis, ad Ethnicos in Romana ecclesia illud pertinuerit, vt ne propter stipes Iudaeo - Christianis inter suos collectas humilius sentirent de populo iudaico; nam in genere ad munificentiam erga Christianos egenos iam supra c. XII. lectores promiscue admonuerat.) conficere in vsus pauperum e sanctis, qui Hierosolymis sunt. Visum

κικοῖς λειτουργῆσαι αὐτοῖς. Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς τὴν Σπανίαν. Οἶδα δὲ, ὅτι ἐρχόμενος πρὸς ὑμᾶς ἐν πληρώ-

est iis, inquam; atque debentes illis sunt (quod quomodo vellet intelligi, explicuit illico). Quodsi enim in spiritualium (i. e. rerum ad animi salutem eamque aeternam facientium, nempe religiosarum), quae illorum (Iudaeorum proprie, coll. e. c. XI, 17. 30.) sunt, communionem venerunt (cf. 1 Tim. V, 22.) Ethnici, sane debent et corporeis (quippe suis i. e. rebus corpori nutriendo fouendoque vtilibus, quae h. l. pecunia est) illis inseruire (quum nimirum haec illis multo minoris sint pretii; cf. 1 Cor. IX, 11.). Haec de itinere instanti Hierosolymitano; cuius commemorationi repetitam de futuro Hispanico mentionem subiungit: Τοῦτο — Σπανίαν. Hoc igitur perfecto (stipis perferendae negotio) illisque hoc fructu (muneris mei apostolici; cf. Phil. IV, 17.) fideliter reddito, (ad verbum: „obsignato" i. e. cum ea, quae solet esse sigilli, fide et firmitate tradito; quo sensu idem vocabulum σφραγίζειν occurrere videtur apud LXX. 2 Reg. XXII, 4.) deuenturus sum per vos (vestram vrbem) in Hispaniam (quo tamen apostolus, quantum constat ex eius historia, peruenit nunquam). Ac hic quidem rursus, quam optime de Romanis speraret, breuiter ostendit: Οἶδα — ἐλεύσομαι. Scio autem, me venientem ad vos in abundantia bonorum Messiae (i. e. euangelii, quod Messiae est; quam explicationem vulgaris lectio exprimit; quo quidem dicto auctor non tam sibi, quam lectoribus, beneuolentissime se suaque de ipsis merita accepturis,

ματι εὐλογίας Χριςοῦ ἐλεύσομαι. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριςοῦ, καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τοῦ πνεύματος, συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν, ἵνα ῥυσθῶ ἀπὸ τῶν ἀπειθούντων ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἵνα ἡ διακονία μοῦ, ἡ εἰς Ἱερουσαλὴμ, εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις; ἵνα ἐν χαρᾷ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς διὰ θελήματος Θεοῦ καὶ συναναπαύσωμαι ὑμῖν.

quaerit laudes) v e n t u r u m e s s e. Quod autem reliquum est, amanter tractat lectores, rogans, vt se precibus Deo dictis subleuarent ad negotium illud difficile feliciter expediendum. Παρακαλῶ—ὑμῖν. Obsecro vero vos, fratres, (et obtestor) per dominum nostrum, Iesum Messiam, et per amorem, quem Spiritus (diuinus in nobis Christianis) excitat (quo amore scilicet vos mihi etiam absenti et ignoto iunctos esse confido; cf. Col. I, 8. Phil. II, 1. Sic dicitur „χαρὰ πν. ἁγίου" 1 Thess. I, 6., quae Rom. XIV, 17. „χαρὰ ἐν πν. ἁγίῳ."), vt mecum contendatis (i. q. me adiuuetis in) precibus pro me (cf. e. c. Phil. I, 19.) apud Deum faciendis, vt eripiar (i. e. saluus et incolumis praester ab insectantibus, quorum tamen furori succubuisse apostolum nouimus ex Act. XXI, 7. ss.) incredulis (erga euangelium), qui in Iudaea sunt (quos videtur h. l. consulto non nominasse „Ἰουδαίους," vt lectoribus ex hac gente suis parceret), vtque ministerium meum (de quo ante v. 25.), Hierosolymis (i. q. Hierosolymitanis) praestandum, gratum acceptumque sanctis (qui ipsi forsan, Iudaei quum essent, indignabundi accepturi erant stipes sibi missas ab Ethnicis) futu-

Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης μετὰ πάντων ὑμῶν! Ἀμήν!

Συνίστημι δὲ ὑμῖν Φοίβην, τὴν ἀδελφὴν ἡ-

rum sit; vt adeo cum gaudio (qui, eheu, quanto cum dolore venit!) veniam ad vos iuuante Deo atque vna vobiscum (mutuo nostro amore religionisque christianae studio) delecter (cf. I, 12.). Denique hanc periodum hoc claudit bono voto: Ὁ — Ἀμήν! Deus autem (auctor) pacis (et concordiae; hanc enim vnice P. volebat commendatam Romanis, hanc viuida semper tenebat memoria; cf. 2 Cor. XIII, 11.) vobis adsit omnibus. Adsit ille inquam!

Accedunt epistolae commendatio vna atque salutationes plurimae, pro more id quidem apostoli, si in totum spectes, hoc vero mirandum, quod ipse Romae adhuc nunquam versatus tamen tot homines in illa vrbe degentes ita nouerit, vt eos salutandos existimaret; quae res interim minus, quam visa est quibusdam, nobis mirabilis videbitur cogitantibus, partim Romae, in vrbe imperii, esse potuisse multos multis de caussis, quos noster aliis locis iam dudum cognouisset, partim et incolarum vrbis facile eum potuisse habere notitiam ex Aquila, quocum (sec. Act. XVIII, 1—3.) Roma nuper degresso Corinthi per aliquot menses vixit coniunctissimus; vt ne addam, P. voluisse, quae eius erat prudentia, plurimos formulis integris a se salutatos in vrbe, quam ipse mox, praestructa, qua optima posset, sui commendatione, vt plurimum ibi proficeret, esset, quantum sciebat, petiturus. — Commendatio igitur haec est: Συνίστημι — ἐμοῦ. Commendo autem vobis Phoeben (quae, si qua fides subscriptioni epistolae vulgari habenda sit, fuit, per quam P. has maxime litteras Romam cura-

μῶν, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς; ἵνα αὐτὴν προσδέξησθε ἐν κυρίῳ ἀξίως τῶν ἁγίων καὶ παραστῆτε αὐτῇ ἐν ᾧ ἂν ὑμῶν χρήζῃ πράγματι; καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη, καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ. Ἀσπάσασθε Πρίσκαν καὶ Ἀκύλαν, τοὺς συνεργούς

ret perferendas. Similiter certe commendatum videmus Epaphroditum Philippensibus Phil. II, 29.), quae nobis (vtrisque, vobis vt mihi, quia ex Christianis) soror est, diaconissam eam (muneris nomen, negotia in mulieribus habentis fere eadem, quae „diaconi" munus in maribus, de quo cf. 1 Tim. III, 11.) ecclesiae, quae Cenchreis (de quo opido eodemque portu Corinthiaco, orientem versus sito, cf. Act. XVIII, 18.) est; vt eam excipiatis domini caussa (ita) vt dignum est sanctis (i. e. vt decet vos, Christianos ad sanctitatem vocatos; cf. Eph. V, 3.) eique feratis opem in quocunque vestri indiguerit negotio (mercatorione an forensi, an vtrivsque generis, quis nobis dixerit?); illa enim et ipsa fuit (adhuc) patrona (s. „opitulatrix," praesertim peregrinorum; hospitalitatis enim laus continetur vocabulo προστάτις, sono, vt videtur, illud „παραστῆτε" assimilante) multorum atque mei ipsius. Sequuntur salutationes, quae ipsae plurimam partem commendationes sunt non solum eorum, quorum laudantur nomina, sed vero etiam P., qui laudet atque commendet eos tantopere fere omnes. Ἀσπάσασθε — Χριστῷ. Salutate (meo nomine; quos enim iubet salutari, nimirum salutat ipse) Priscam (quae et „Priscilla" dicitur eodem nomine, pro more appellandarum mulierum sic formato, e. c. Act. XVIII, 2.) et Aquilam (illius maritum, de quo lege Act. l. c.), so-

μου ἐν Χριςῷ, Ἰησοῦ, (οἵτινες ὑπὲρ τῆς ψυχῆς μου τὸν ἑαυτῶν τράχηλον ὑπέθηκαν; οἷς οὐκ ἐγὼ μόνος εὐχαριςῶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι τῶν ἐθνῶν) καὶ τὴν κατ᾽ οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν. Ἀσπάσασθε Ἐπαίνετον, τὸν ἀγαπητόν μου, ὅς ἐςιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας εἰς Χριςόν. Ἀσπάσασθε Μαριάμ, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν εἰς ἡμᾶς. Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν, τοὺς συγγενεῖς μου καὶ συναιχμαλώτους μου, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποςόλοις, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριςῷ.

cios (q. d. collegas) meos in Messiae, Iesu, opere (nempe euangelio propagando tuendoque), — qui pro vita mea ceruicem suam (i. e. sese periculo capitis praesentissimo; idque, quantum sciamus, vel Corinthi sec. Act. XVIII, 12—17., vel Ephesi sec. Act. XIX, 23—41.) subiecerunt, quibusque non ego solum (ob eorum de me priuato merita) habeo gratias, sed etiam (habent) omnes (per Graeciam et Asiam minorem) ecclesiae ex Ethnicis (saltim plurimam partem) collectae — et (salutate eam), quae in ipsorum domo est, ecclesiam (vnde, coll. v. 4. 15. haud temere, opinor, coniicimus, Christianos Romae versantes tum temporis nondum fuisse congregatos ad vnitatem ecclesiae, quam rem a P. hac nostra epistola ita fuisse praeparatam, vt dein, quum ipse illuc venisset, faciliori negotio eandem posset perficere, iam subinde adnotatum est.). Salutate Epaenetum (nomen alias in N. T. non lectum), mihi dilectum (i. q. amicum meum), qui primus in Asia (proconsulari, cuius caput erat Ephesus) nomen Messiae dedit (ad verbum

Ἀσπάσασθε Ἀμπλίαν, τὸν ἀγαπητόν μου ἐν κυρίῳ. Ἀσπάσασθε Οὐρβανὸν, τὸν συνεργὸν ἡμῶν ἐν Χριστῷ, καὶ Στάχυν, τον ἀγαπητόν μου. Ἀσπάσασθε Ἀπελλῆν, τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. Ἀσπάσασθε Ἡρωδίωνα, τὸν συγγενῆ μου. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου, τοὺς ὄντας ἐν κυρίῳ. Ἀσπάσασθε Τρύφαιναν καὶ Τρυφῶσαν, τὰς κοπιώσας ἐν κυρίῳ. Ἀσπάσασθε Περσίδα, τὴν ἀγαπητὴν, ἥτις πολλὰ ἐκοπίασεν ἐν κυρίῳ. Ἀσπάσασθε Ῥοῦφον, τὸν

si vertas, P. eum vocat „primitias Asiae, respectu Messiae habito," metaphora sumta ex Iudaeorum sacris ritibus, simili quidem illi, qua e. c. XV, 16. „προσφορὰ τῶν ἐθνῶν" dicta est; cf. 1 Cor. XVI, 15. et de εἰς 2 Cor. XI, 3. Eph. I, 5. III, 16.). Salutate Mariam (nomen inter Iudaeos notissimum mulieris caeteroquin prorsus ignotae), quae multum laborauit (forsitan „κόπῳ ἀγάπης" sec. 1 Thess. I, 3. i. e. beneficiis in nos collatis) pro nobis (vel Paulo, vel Christianis; εἰς h. l. dicitur, vt e. c. 1 Cor. XVI, 1.). Salutate Andronicum et Iuniam (ignotos, quos tamen, quin ipsos „apostolos" h. l. vocari putem, hoc obstat, quod nunquam „οἱ ἀπόστολοι," simpliciter et plurali numero, alio, quam strictiori sensu, appellentur), populares meos et captivitatis (vbi? quando? nescimus omnia!) (socios, qui sunt insigni laude apud (ἐν, vt e. c. Act. XXV, 6.) apostolos, quique ante me inter Messiae fuerunt professores. Salutate Ampliam (caetera ignotum), dilectum mihi domini caussa (i. q. vt Christianum). Salutate Vr-

ἐκλεκτὸν ἐν κυρίῳ, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ καὶ ἐμοῦ. Ἀσπάσασθε Ἀσύγκριτον, Φλέγοντα, Ἑρμᾶν, Πατρόβαν, Ἑρμῆν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀδελφούς. Ἀσπάσασθε Φιλόλογον καὶ Ἰουλίαν, Νηρέα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ, καὶ Ὀλυμπᾶν, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς πάντας ἁ-

banum (alias ignotum), socium nostrum (meum Pauli aliorumque euangelii doctorum) in Messiae opere (cf. v. 3.), et Stachyn (nihil illo notiorem), mihi dilectum. Salutate Apellem (praeterea ignotum), spectatum in Messia colendo (i. q. genuinum Christianum). Salutate, qui ex Aristobuli (forsan non ipsius Christiani eiusdemque nec commemorati alias) familia (sc. Christiani) sunt. Salutate Herodionem (rursus ignotum), meum popularem. Salutate, qui ex Narcissi (quem, item semel h. l. in N. T. memoratum, putant, nescio quo iure, fuisse libertum Claudii, de quo cf. Tac. Ann. XIII, 1. 4.) familia domino sunt dediti (quos ne diserte „Christianos" appellem, facit P. exemplum, qui sine dubio hoc nouit nomen nec tamen vsquam adhibuit). Salutate Tryphaenam Tryphosamque (ignotas praeterea, fortasse sorores, nominibus et loco et similitudine coniunctis), quae laborauerunt (cf. v. 6.) in domini opere. Salutate Persidem (nihil illis notiorem) dilectam (nobis, an mihi?) quae multum laborauit in domini opere (Quis autem non dignum attentione dicat, tam saepe idem vel „Messiae" vel „domini" nomen inter has salutationes appellari, ex pietate quidem, vt videtur, ad ipsius sanctitatem lectoribus, non omnibus Iesu Messiae studiosissimis, inculcandam composita?). Salutate Rufum (eun-

γίους. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ! Ἀσπάζονται ὑμᾶς αἱ ἐκκλησίαι πᾶσαι τοῦ Χριστοῦ.

dem forsan, qui Marc. XV, 21. alter filiorum Simonis Cyrenaei fuisse dicitur), selectiorem ex domini societate (i. q. inter ipsos Christianos praecipuum), eiusque matrem, quae et mea (puta, amore ac beneficiis) est. Salutate Asyncritum, Phlegontem (ignotos ambo), Hermam (quem veteres volunt esse auctorem libri, qui „Pastor" inscriptus est), Patrobam, Hermem (ignotos), et, qui cum iis sunt, fratres (i. q. Christianos). Salutate Philologum (ignotum) cum Iulia (vxore?), Nerea (ignotum) cum eius sorore, Olympamque (item ignotum) et omnes, qui cum iis sunt, sanctos (i. q. Christianos). Salutate (quae salutatio est Pauli dicta omnibus ecclesiae romanae sociis!) vos invicem sancto osculo (quo variis appellato nominibus, omnibus vero religiosam illius vim naturamque, nempe mutuae Christianorum concordiae beneuolentiaeque consilium, designantibus, solebant vti ecclesiae prima aetate in sacris conuentibus proxime ante coenam mysticam et quidem laici mares erga mares, foeminae erga foeminas, clerici autem erga episcopum; de quo cf. 1 Cor. XVI, 20. 2 Cor. XIII, 12. 1 Thess. V, 26. 1 Petr. V, 14.)! Salutant (quae rursus P. est salutatio eorum, a quibus lectores vult salutatos, nomine Romanis, vrbe praecellentibus, impertita) vos omnes Messiae ecclesiae (nempe quotquot erant cum P. coniunctae).

At haec nimirum caeterarum Chrsti ecclesiarum, iam plus minus florentium, cogitatio excitabat, opinor, Apostolo memoriam Romanae, nondum firmiter satis stabilitae, nisi potius omnino necdum

Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιοῦντας, καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν. Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τῷ

vere conditae, ad cuius statum meliorem, quantum posset, his scriptis conferre adnitens hanc quoque postremam id monendi occasionem non omisit, immo aliquanto liberius, animis lectorum ad haec dudum praeparatis, quid tota sua epistola maxime spectaret, interrupta salutationum serie, quo plus valeret tam amica admonitio, graui cum breuitate proposuit. Ita igitur statim a salutando vertit se ad monitum: Παρακαλῶ — αὐτῶν. Hortor autem vos, fratres, vt notetis eos, qui dissidia offensionesque (loquitur autem P. de certis quibusdam dissidiis, aut passim in ecclesiis, aut in romana maxime, quod probabilius est, occurrentibus) praeter (i. q. contra, etiam apud Latinos) doctrinam, quam vos didicistis (nempe veritatem euangelii, et forsan eam potissimum apostolus vult intelligi, quam hac ipsa illos docuerat epistola), efficiunt (qui, quantum ex reliquis P. epistolis constat, fere erant Christiani ex Iudaeis, suas semper religiones malo conamine ad Christianismi simplicitatem puritatemque turbandam transferentes); atque horum fugitote consortium (quippe quo solo remedio, quamuis acerbiori, procurari poterat, vt desiderata vnitas ecclesiae tandem existeret; cf. e. c. 1 Tim. VI, 3—5.). Quos quidem turbatores pacis ecclesiasticae, qua mente quibusque moribus esse soleant, auctor iam lectoribus succincta descriptione significat. Οἱ — ἀκάκων. Tales (quales nimirum non Romae solum sciebat esse apostolus, sed vbique inter Christianos fuerat expertus) enim non inseruiunt do-

κυρίῳ ἡμῶν, Χριςῷ, οὐ δουλεύουσιν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ; καὶ διὰ τῆς χρηςολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων. Ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο. Χαίρω οὖν τὸ ἐφ᾽ ὑμῖν. Θέλω δὲ ὑ-

mino nostro, Messiae (non id agunt, vt huius euangeliique, nouae doctrinae, caussam promoveant), sed suis ipsorum ventribus (i. e. suis potissimum commodis, suas nempe superstitiones Iudaicas commendando atque obtrudendo imperitis pro rebus euangelicis, eo maxime consilio, vt sibi eos hoc erga legem patriam fauore non christiano amicos facerent eorumque dein liberalitate abuterentur; cf. Phil. II, 21. III, 18. 19.); atque mulcentibus (i. e. magna et multa, quae iudaicis ritibus praestandis parari possent, bona largiter pollicentibus) blandisque (i. e. ad sensus audientium occupandos mira arte compositis) sermonibus decipiunt (decipere solent) animos hominum (fraudem, quam isti impostores ipsis euangelio doctrinis suis deturpando struerent, nihil subodorantium, sed bono vocabuli sensu) simplicium. Ac lectorum laudem, quamquam hanc ambigue dictam, prudenter in eorum admonitionem adhibet: Ἡ — κακόν. Etenim ad omnes (i. e. longe lateque inter Christianos) fama de vestro obsequio (i. e. animo vestro moribusque erga quemcunque doctorem monitoremque obsequiosis; quae sane laus non omnino caret vituperio) perlata est. Gaudeo igitur de vobis quidem (quatenus illud obsequium probat, vos esse studiosos veri et dociles). At velim ego, vt (non tantum boni ac simplices hincque erga quoscunque obsequiosi, sed etiam) sapientes sitis ad bonarum rerum studia, ad malarum autem incallidi (vo-

μᾶς σοφοὺς μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν. Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει! Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' ὑμῶν!

cabulum ἀκέραιος commodissime deduci cum Schleussnero existimo a „κεραΐζειν" i. e. laedere, nocere, vt proprie sit i. q. innocens, nempe ob animi simplicitatem, quod in N. T. praeter hunc l. occurrit Matth. X, 16. et Phil. II, 15. „sincerum" hominem significans, hic autem ex oppostitione τοῦ „σοφοῦ" „incallidum" putaui vertendum. Simile monitum apostoli vide 1 Cor. XIV, 20.). Iamque se et lectores ad spem exigit laetissimam, dicens. Ὁ — τάχει! Deus vero (auctor) pacis (quam apostolus appellat identidem, romanis quidem Christanis tum temporis summe necessariam) Satanam (auctorem adiutoremque omnium, quae euangelio, quo minus vigeat, floreat, crescat; impedimento sunt, I. M. antagonistam, cuius illi seductores ministri sunt; cf. 2. Cor. XI, 13 — 15.) contritum pedibus vestris (i. e. vestrae potestati; allegoria haud dubie sumta ex Gen. III, 15.) subiiciet citissime (quod per se latissimo sensu dictum ego h. l. ex contextu interpretor de dissidiis vnitatem ecclesiae rom. adhuc triste remorantibus mox Deo procurante tollendis)! Tandem sollemni voto, quod alias in fine epistolarum ponit, hanc breuem claudit periocham. Ἡ — ὑμῶν! Gratia (fauor indeque profluens felicitas) domini nostri, Iesu Messiae, vobis esto!

His inter salutis nuntiationes vix coeptas, loco, vt vidimus, haud alieno, interiectis illae sic partim ab ipso auctore partim vero ab eius in scribenda h.

Ἀσπάζονται ὑμᾶς Τιμόθεος, ὁ συνεργός μου, καὶ Λούκιος καὶ Ἰάσων καὶ Σωσίπατρος, οἱ συγγενεῖς μου. Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος, ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν, ἐν κυρίῳ. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Γάϊος, ὁ ξένος μου καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἔραστος, ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως, καὶ Κούαρτος, ὁ ἀδελφός.

epistola ministro continuantur: Ἀσπάζονται — ἀδελφός. Salutant vos Timotheus (notissimus ille celeberrimusque P. nostri discipulus atque saepissime comes, paterno amore ab eo dilectus), laborum mihi socius et Lucius (Cyrenensis appellatus Act. XIII, 1.) et Iason (de quo plura legimus Act. XVII, 5—9.) et Sosipater (qui idem videtur esse cum „Sopatro," memorato Act. XX, 4.), mei populares. Saluto vos ego, Tertius (qui quum alias nusquam commemoretur hoc nomine neque tamen videatur fuisse homo inter Christianos obscurissimus, quippe P., apostoli ex omnibus illustrissimi minister, sane haud improbabilis quorundam coniectura est, latinum illud esse nomen „Silae," comitis P. plurimum noti; שָׁלִשׁ enim „Tertius" est, quod romanum ille nomen forsan ad Romanos haec perscribens, ex more id quidem hominum iudaeorum, sibi sumserat.), qui scripsi (i. e. calamo excepi; qua de re in praeparatione diximus) hanc epistolam, (saluto vos ego, inquam) per dominum (i. e. Christianos Christianus). Salutat vos Caius (de quo 1 Cor. I, 14.), hospes meus et totius (nempe Corinthiorum, apud quos P. degebat hanc mittens epistolam) ecclesiae (quia coetus sacri in illius domo habebantur). Salutat vos Erastus (quem Act. XIX,

Ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, μετὰ πάντων ὑμῶν· Ἀμήν! — Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου καὶ

22. cum Timotheo et 2 Tim. IV, 20. Corinthi invenimus), arcarius civitatis (nempe rursus Corinthiorum, quem nos vocaremus: „Stadtkämmerer"), et Quartus (caetera ignotus), frater (i. q. Christianus, cf. XVI, 1.).

Reliqua, quae, exceptis illis paucis. „Ἡ — Ἀμήν!" quo iure huic a nobis loco vindicarentur, in praefatione, vt iam supra monuimus, disputatum est longius, additamentum esse videntur propria apostoli manu exaratum, quale sine dubio habemus 1 Cor. XVI, 21 — 24. Gal. VI, 11 — 18. Col. IV, 18. 2 Thess. III, 17. 18., ex quo loco fit probabile, P. omnibus suis per alios consignatis epistolis quaedam sua ipsius manu, quae documento essent lectoribus, has esse genuinas apostoli, adiecisse, cuius generis appendices profecto omnes, quae exstant, exhibere credi possunt. Hic igitur primum ille repetit votum, quod iam paulo ante (v. 20.) amanuensis calamo se commisisse forsitan non satis fida tenebat memoria, caeterum illi vsu ita tritissimum, vt hoc idem vel tamen simile in nulla eius epistola, nobis adhuc reliqua, deesse videamus: Ἡ — Ἀμήν! Gratia domini nostri, Iesu Messiae, vobis esto! Esto, inquam. Cui voto dein iungit aliud, pluribus verbis constans et huic epistolae proprium, quod vel sola sua satis inconcinna prolixitate P. et dicendi morem et manum loquitur. Τῷ — Ἀμήν! Illi autem, qui potis est nos firmos (animo et mente) reddere (cf. I, 11.) secundum (i. e. respectu habito ad) meum (hac nimirum epistola illis propositum) evangelium (i. e. reddere firmos et constantes in recipienda tuendaque ea veritate doctrinae christianae, quam P. docere atque

τὸ κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου, χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένου, φανερωθέντος δὲ νῦν διά τε γραφῶν προφητικῶν, κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου θεοῦ, εἰς ὑπακοὴν πί-

commendare solebat; qua firmitate Romanis opus erat maxime, si, quod ille inprimis hac spectabat epistola, vellent efficere, vt veram stabilemque ecclesiae formam apud sese conderent) doctrinamque a Iesu Messia traditam (qua eiusdem illius „euangelii" appellatione auctor dicit, idem se docere, quae Iesus olim ipse docuerit), secundum (i. e. quod „εὐαγγέλιον μου" idemque „κήρυγμα Ἰησοῦ Χριστοῦ" exortum est per) reuelationem mysterii (quod igitur ipsum „mysterium" praecipuum est illius „εὐαγγελίου" et „κηρύγματος," nempe doctrinae, argumentum, vt adeo verba: κατὰ ἀποκ. μυστηρίου i. e. „quo (κηρύγματι) „reuelatum est mysterium," ad „εὐαγγέλιόν μου," cuius „τὸ κήρυγμα Ἰ. Χρ." appositio est, referenda atque interpretanda sint ex Eph. III, 3. coll. Gal. I, 12. 16. de via ac ratione, qua P. illud suum euangelium innotuisset. De vocabulo μυστήριον cf. dicta ad XI, 25. Res mysterii h. l. et saepius alias, e. c. Eph. III, 3—12., qui locus est nostro pluribus partibus simillimus, appellati cernitur eo, quod Iudaismo abrogato quisque ex omni gente mortalis sola fide cum vitae sanctitate coniuncta (cf. e. c. Gal. V, 6. coll. 1 Cor. VII, 19.) Deo probatus acceptusque, ideoque olim beatus, sit; id quod P. huius suae epistolae parte priori theoretica potissimum docuerat, cuius hoc esset thema: „Δικαιοσύνη θεοῦ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν!"), ab omni aeuo (i. e. toto longissimo tractu praeteriti temporis, i. q. „ἑτέραις γενεαῖς" Eph. III, 5.) silentio (quasi Dei) pressi (i. q. „οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων"

ϛεως εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέντος — μόνῳ σοφῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριϛοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας! Ἀμήν!

Eph. III, 5. coll. ib. v. 9. et Col. I, 26.), manifestati autem nunc (i. q. ὃ „νῦν ἀπεκαλύφθη“ Eph. III, 5.) idque (sic τε expresserim, nisi malis, hanc voculam otiari h. l., vt e. c. Act. XXVI, 22.) per scripta prophetica (quippe quae nunc demum recte pleneque, hoc est de Iesu M. eiusque euangelio, poterant ac debebant intelligi; cf. I, 2. Act. XXIV, 14. XXVI, 22. 23. 2 Petr. I, 19—21.), secundum mandatum (autem) aeterni („ἐν ᾧ“ nimirum illud mysterium „ἀπὸ τῶν αἰώνων“ fuerat „ἀποκεκρυμμένον“ sec. Eph. III, 9.) Dei (cuius ex mandato scil. P. se suique similes doctores euangelii constitutos praedicat saepius, e. c. Tit. I, 3.) ad obediendum fidei (cf. I, 5.) ad omnes gentes (iudaeam non magis, quam reliquas, ope ac institutione apostolorum) perlati — soli sapienti Deo (cui soli sapientia tribui h. l. videtur ratione habita sapientiae falsae et fallacis doctorum religionis caeterorum, praecipue iudaicorum, qui et ipsi crebro sibi nomen sapientiae sumebant cum superbia; cf. e. c. 1 Cor. I, 19—31.) per Iesum Messiam (i. e. in Iesu M. caussa, quae est euangelii, semper magis magisque promouenda; cf. Iud. v. 25. ex veriori lectione, qui locus habet doxologiam nostrae valde similem) sit (ᾧ ex hebraismo vel redundat, vel positum est pro „αὐτῷ,“ quod, sicut hebr. הוּא, verbum substantiuum solet exprimere) gloria in aeternum! Sit illi, inquam!

Bey S. L. Crusius in Leipzig und in allen guten Buchhandlungen sind folgende Bücher zu haben:

Handbuch, exegetisches, des neuen Testaments. 18 Stücke. gr. 8. 797—802. 10 Rthlr. 13 gr.

Henslers, C. G. Bemerkungen über Stellen in Jeremias Weissagungen, gr. 8. 18 gr.

Ienchens, A. E., kurze praktische Predigten, mit wiederholenden Katechisationen über die gewöhnlichen Sonntags-Evangelien des ganzen Iahres, besonders für Landleute und Landschullehrer, 2 Bde. gr. 8. 798. 2 Rthlr.

Kindervater, M. Christ. Victor, pragmatische Darstellung der Leidensgeschichte Iesu mit hinzugefügten moralischen Betrachtungen für denkende Christen, insbesondere für Prediger, gr. 8. 797. 1 Rtklr.

Kommentar über die wichtigsten Stellen des alten Testaments. Vom Verfasser des exegetischen Handb. des N. Testaments. 1s Stück, gr. 8. 803. 22 gr.

— 2s Stück, gr. 8. 804. 1 Rthlr. 12 gr.

Kritik der christlichen Offenbarung, oder einzig möglicher Standpunkt die Offenbarung zu beurtheilen, gr. 8. 798. 1 Rthlr. 8 gr.

Magazin für biblische Interpretation, angelegt von I. C. H. von Zobel, 1n Bandes 1s Heft, in farbigen Umschlag, geheftet. 20 gr.

— 1n Bandes 2s Heft. 20 gr.

Mielkens, I. B., Beytrag zur Beförderung der häuslichen Andacht in einer Sammlung von Predigten, gr. 8. 783.

Druckpapier 1 Rthlr. 8 gr.

Schreibpapier 1 Rthlr. 12 gr.

Morus, Dr. S. F. Nath., nachgelassene Predigten aus seinen eigenen Handschriften zum Druck befördert von Dr. C. A. G. Keil, 1r Theil, gr. 8. 794. 20 gr.

— 2r Theil, gr. 8. 795 20 gr.

— 3r und letzter Theil, gr. 8. 797. 20 gr.

Paulus Brief an die Galater, und der erste Brief von Petrus, übersetzt von C. G. Henſsler, gr. 8. 4 gr.

Paulus, M. H. E. G., Memorabilien, eine philosophisch-theologische Zeitschrift der Geschichte und Philosophie, der Religion, dem Bibelstudium und der morgenländischen Litteratur gewidmet, 1s bis 8s Stück, gr. 8. 791 bis 796. Iedes Stück 12 gr. 4 Rthlr.

Planks, Dr. Gottl. Iak., Geschichte der Entstehung der Veränderung und der Bildung unsers protestantischen Lehrbegriffs, vom Anfang der Reformation bis zu der Einführung der Concordienformel, 6 Bände, gr. 8. 791—800. 13 Rthlr. 16 gr.

Predigten zur Belehrung und Beruhigung für Leidende, aus den Werken Deutscher Kanzelredner gesammelt von G. I. Petsche, 1r bis 4r Band, gr. 8. 792 bis 796. Ieder Band 1 Rthlr. 4 Rthlr.